

PIA HILARIA


R. P.

ANGELINI GAZÆI


E SOCIETATE IESV

ATREBATIS.


Noua editio, longè auctior & correctior.







ANTVERPIAE,
EX OFFICINA PLANTINIANA
BALTHASARIS MORETI.
M. DC. XXIX.



MENS AVCTORIS.



Vdire, legere, Lector, Auditor, velis
Hilaria non molesta, non effrenia,
Sed plena puri, plena candidi salis,
Et condiendis moribus nõ improba,
Animis leuandis apta, & apta paruulo
Vtiliter horis morsicandis otio,
Seu paruá in vmbrâ, seu virenti gramine,
Aut propter vndam, aut subter horti pergulâ.
Hæc igitur audi, Lector, Auditor, lege.



FACVLTAS R.P. PROVINCIALIS.

EGO infrascriptus Præpositus Prouincialis Societatis IESV per Gallo-Belgium, cùm *Pia Hilaria P. Angelini Gazæi*, eiusdem Societatis Sacerdotis aucta, quatuor designati eiusdem Societatis Patres legerint probarintque, potestate ab admodum Reuerendo P. N. Mutio Vitellesco ad hoc mihi factâ, vt typis excudatur permitto Balthasari Moreto. In quorum fidem has litteras manu meâ subscriptas officij mei sigillo muniui. Insulis XXI. Maij, M. DC. XXVIII.

Franciscus de la Croix.

APPROBATIO.

ERVDITA pariter & pia, quinimò aucta hæc Hilaria, & prælo digna. Datum III. Iunij, M. DC. XXVIII.

Henricus Smeyers Librorum Censor.

Cum Priuilegio PHILIPPI IV. Hispaniarum Regis Catholici, & Serenissimi Belgarum Principis.

Signat.

Steenhuyse.

IN-

INDICVLVS.

* 3 Dæ-

ELEGIÆ.

DESCRIPTIONES ILLVSTRIORES

Quæ passim hoc libello continentur.

* 5 *Lin-*

ONO-

ONOMASTICON VOCVM OBSCVRIORVM IN GRATIAM LECTORIS.

A.

ADuncifurcifer pes, *vox ficta.*
Agaſo treſſis.j. *vilis & trium aſsium.*
Amurca.*fex oleæ.*
Anaglypha, *imagines cælatæ & eminentes.*
Analecta,*reliquiæ ciborum.*
Apella.j.*circumciſus,ſine pelle, Iudæus.*
Aſellus, *piſcis,quem Flandri vocant* ſtockviſch.
Aſilus,*æſtrum,*

B.

Botellus,*farcimen è porco.*

C.

Caligæ follicantes,*laxæ.*
Campe,*eruca hirſuta.*
Camurus, a, um,*pro inflexo ſumitur à Virgi. hic pro ſimo ponitur catachreſticôs.*
Carbunculare *dicuntur arbores, cùm quodam vredinis carbone aduruntur.*
Carcheſium,*pars mali ſuprema.*
Cauſtica, *medicina quâ quis aduſtiones patitur.*
Celte, *inſtrumentũ cælatorũ.*
Cinefactus, *in cineres redactus.*
Ciniflo, *qui prunas afflat, & ignem accendit.*
Cippus & numellæ, *ſunt vincula.*
Coniſcant oues,*capite ſe impetentes.*
Cordoliũ *Cicer. cordis dolor.*
Crena,*extrema pars arcus,cui funis innectitur.*
Cynorrhodon *Gall.* Eſglantiers,*roſa ſilueſtres.*

D.

Decempeda, *menſura pedum decem.*
Diarrhœa,*profluuium alui.*
Dicis causâ, *Ciceroni eſt leuiter & perfunctoriè.*
Diota,*genus poculi.*
Doſſuarius,*baiulus quaſi dorſuarius.*
Duricoria.*ficus acerba.*
Dyſuria,*Difficultas vrinæ.*

E.

Ephemera phrenitis, *quæ eſt vnius diei.*
Erythræum,*rubrum.*
Exgaleritus, *vox ficta ſignificans priuatum galero, vt expalliatus pallio.*

G.

Groſſus duricoria.*ficus acerba & duri corticis,ſumitur hic pro virgis.*

H.

Hamiota, *Piſcator Plauto & aliјs.*

Harmoge, *Plinio est colorum mixtio.*

Hemicyclus *sedes rotunda Ciceroni.*

I.

Illunis. *sine luna, obscurus.*

Impiare, *Seneca & alijs est fœdare.*

ad Incitas redactus, *ad extrema, prouerbium est.*

Inuestis. *sine veste, nudus.*

L.

Lauernio, *fur à Lauerna Dea, cuius tutelæ permittebant se fures.*

Lemmata, *argumenta.*

Lira, *sulcus agri, hic pro statu sumitur.*

Lithanthrax, *lapis carbo quo fabri ferrarij vtuntur.*

Lucellum, *paruum lucrum.*

Lycisca *canis.*

M.

Mantissa, *id quod emptori superdatur.*

Melampus, *canis nigripes.*

Moretum, *farti genus è lacte, caseo & herbis.*

Myops, *qui visus est obtusi.* Strabus *obliqui.*

Myrmidon populus. *pro formicis, quia Myrmidones è formicis orti.*

Mystax, *barba vtrimque longior, Gallicè moustache.*

O.

Olus fuit, *in quem exstat epigramma Martialis, à quo monetur rem suam curare.*

Oscen, *cantor.*

Οὖλε, *Vale.*

Ὦ γαθὲ *phrasis Græca, pro* ὦ ἀγαθέ. *ô bone.*

P.

Pætus, *qui oculum vnum altero maiorem habet.*

Paratragœdiare, *nomen fictum à Plauto, significans tragœdias excitare.*

Paredrus, *assessor.*

Pastinum, cylindrus, stiua, *res rusticana.*

Patulcius Deus, *qui foribus aperiendis præerat.*

Pernæ vescæ, *apta vt edatur.*

Petaurista, *saltator histrionicus.*

Petiolus. *id à quo pomum pendet, vulgò cauda.*

Podargus, *canis pedibus pernix.*

Poppisma, *vocis blandimentum, hic pro sibilo sumitur.*

Pyragra, *instrumentum ad ignem carpendum.*

Pytisma. *sputum.*

Q.

Qualum *vel* qualus, *corbula.*

R.

Reapse, *pro reipsa, etiam à Tullio vsurpatum.*

Repotia, *conuiuium solemne postridie nuptiarum, hic pro conuiuio virgatili sumitur.*

Rhombus, *piscis.*

Robusteus, a, um, *è quercu seu robore.*

Ruta, *fluuius Cliuia.*

S.

Saburratus venter, *cibo velut saburra oppletus.*

Scri-

Scribillare, *Catullo est cutem vibicibus inscribere.*

Siderantur vineæ, *cùm à pestilente sidere seu aurâ afflantur.*

Silicernij, *senes.j.incurui, qui silices cernunt.*

Strabus, *qui visus est obliqui.*

Succida lana, *est ea quæ in ouibus scatet sordibus.*

Succidiæ, *tergum porci.*

Supparum, *idem quod semicinctium.*

Symperasma, *pro ratione hîc accipitur.*

Syrma, *tractus seu cauda vestis humum verrens.*

T.

Taureæ, *flagella è corio bubulo*

Tomaculum, *genus farciminis.*

Tonus, *picturæ splendor.*

Teredo, *vermis rodens lignũ.*

Traha. *genus vehiculi.*

Tressis, *trium assium seu vilis.*

Trunculi veruecis, *quos Gallicè vocamus Hachis de montons.*

V.

Verminatio, *tormina ventris.*

Verna, *domesticus.*

Verpus.j.*circumcisus.*

Vertagus, *canis.*

Visorium, *Cassiod. locus spectaculi*

Vitulari, *antiquis fuit lætari, hîc ponitur pro ineptire more vitulorum.*

Vmbilicata placenta, *vulgò pasté*

Voluolus, *metaphora ducta à cylindro.*

X.

Xantippe, *vxor Socratis, pro molestâ hîc accipitur.*

Z.

Zythum, *aliàs cereuisia, sic dicta quòd sit Cereris vis, vel quòd cerebrum visat.*



PRAELVDIVM.

D. VIRGINIS imago, quam LÆTITIÆ vocant, vulgò DE LIESSE, cælitus delapsa ad captiuos Francos, illos è Soldani ditione in Franciam per aërem detulit cum ipsius Soldani filiâ per eos ad fidem conuersâ.

Ex Annalibus Melitensium.



O Diua in oris clara Veromanduis,
Quæ nostra dici Domina Lætitia soles,
Annon Hilaribus anteire vis Pijs,
Quæ Gaza pauper Angelini fert foras?
Lætitia, Hilaritas, sunt sorores intimæ;
Germanus harum frater est Pius Lepos.
Quod igitur Hilare, quod Pium pariter siet,
Ingredior Hilaris & Piæ historiæ fores.
Mobilibus annis more dilapsis suo,
Iam penè quintum sæclum in vtopiæ locos
Celeribus euolauit alis (sic volunt
Nati atque natæ Temporis, Menses, Dies,
Noctes & Horæ, ceteriq; Pegasi)
Cùm Francus armis acer, animis acrior,
Tellure sanctâ Canibus ereptâ impijs
Haud diu potiri visus est. Id temporis
Idq; regionis tres erant, quos sanguinis
Paterni auitus splendor, & Solymæ sacer
Equestris ordo, & gesta res bello benè
Fecisse fertur inclytos: fratres erant

Vero-

Veromanduorum nati & alti in finibus,
Quos patria tellus Eppa, seu Marchesium,
Cum flore reliquo bellicosæ Galliæ,
In belli arenam destinauerat Sacri.
Sed misera pugnæ sic volentis alea,
Dum fortè medios impetu in cuneos ruunt
Validiùs, Ascalone captiuos dedit,
Et hinc Cayrum duxit, vrbem Principem.
Soldanus illos & prece, & pretio, & minis,
Et spebus amplis è sacra Fidei sinu
Ad Mahometis Alcoranum nobile,
Nobile probrosis fabulis, transducere
Sategit; haud tamen sat egit, perditos
Inanis hamos & operam lusit suam.
Indomita fratrum pectora (vt bullas puer
Vitreas ab vndâ ludibundus obruit
Repentè tumidas, & repentè euanidas)
Haud aliter amplas spes, minas, pretium & preces
Ludibria ventis ore constanti dabant:
Vtq; Catharinam Maximinus in suos
Pellicere cassos nisus, acciuit sophos,
Qui mille tricis illigantes Virginem
In Ethnicismi mergerent atrum chaos;
Sed Diua tricas, velut arachnes stamina,
Ludente digito euoluit: haud isti secùs
Agiliter explosêre Machometica
Legis-peritos, imò legisperditos.
Nil Rabbi potuit Kimhi, nil Rabbi Haccados,
Nihil Aben Esra, & reliqua Rabbinûm strues,
Pluente ab alto robur & animos Deo.
Soldanus iras acuit: hi constantiam,
Iussi in profundam carceris condi specum.

Fuit

Fuit Tyranno gnata nubilis, cui
Iſmeria nomen; ſi decora vmquam fuit,
Decora vultu virgo; ſi Princeps fuit,
Auguſta Princeps; ipſa corculum patris,
Et patris oculus, & ſenatus, & omnia:
Adeò illa ſolers & potentis eloquii;
Et Mahometi dogma, nugas putidas
Erat à tenellis docta fecundiſſimè.
Quod ergo nullus Talpa Mahometicus
Efficere potis eſt, vt ſuam eiurent fidem,
Id poſſe tandem filiam ratus pater,
Adire captiuos iubet, mandat ſui
Vt tela promat ingeniȷ̈ & facundia,
Saxumq́ue moueat omne, & omnem machinam,
Vt Mahometi ſupplicent, vt & ſinant
Se fieri Apellas, inde mox Ianizeros.
Iuuenes in imo conditos ergaſtulo
Viſit, reuiſit Iſmeria; placidè, diu
Auditur, audit; vrget, vrgetur magis,
Nam Dĩa virtus, gladius anceps, impetit
Imas medullas fortior, tundit, fodit,
Vt victa dederit virgines tandem manus
Iſmeria, putrem Mahometem deſpuens.
Cecinit, Iô triumphe victrix Veritas,
Cecinere fratres. Inter hæc ſpe ſutili
Nata genitorem lactat, vt breui breui
Meliora vincti ſentiant. Id nuntiȷ̈
Soldanus haurit auidus, & natam oſculans.
Cœpti deinceps (ſic Tyrannus imperat)
Meliùs haberi & habere captiui mei.
Hos virgo adire perfrequens, ritus ſacros
Sitiens doceri, Chriſtiana dogmata

Exci-

Excipere facilis, facilis animo condere.
Sed magnus illi, praeq; ceteris pius
Nescio quis intus ardet in Mariam amor,
Quam laude Iuuenes euehunt amplissimâ,
Dei hanc Parentem Caelitumq; Principem,
Virginibus etiam virginem impensissimè
Fauere pronam, ferre opem, dare munera.
His icta stimulis in Deiparam Ismeria
Virgineo ocello lenè vinctos intuens,
» O si, inquiebat, vel pusilla icuncula,
» Aut statua ligno sculpta vel saxo, mihi
» Dono veniret, quae hanc Patronam virginum
» Referat, vt vt erit! Regiae vt faxint satis
Voto puellae, hi ligna confestim petunt:
Mox ipsa quercûs & pyri fragmen gerit,
Simulq; scalprum, maleumq; & circinum.
Postquam valere iusserat, fabri inclyti,
Fabrilis operae tam periti, quàm lyrae is
Quem ritè norunt Arcades, stant penduli,
In se ora vertunt mutua, inspectant manus,
Manus ineptas malleo, aptas lanceae,
Minusq; cautae sponsionis poenitet.
Quid agant? Mariae prouidentes rem geri,
Ad vota tandem supplices proni ruunt,
Caeloq; sibi precantur artifices manus
Fabrefacienda, quam volebat, Iconi.
Tum placidis oculis somnus insperantibus
Adrepit; ibat atra iam Phoebi soror
Sua inter astra, cùm ecce se carcer videt,
Simulq; stratos incolas humi suos:
Nam lux oborta Cynthio par aut prior,
Mora nulla tenebras exules mittit foras,

Dum

Dum lapſa cælo magna cælituum cohors
Statuam venuſtam ſed puſillam fratribus
Somno ſepultis ingerit; cantu dein
Feſtiuo in aures dormientium fluit.
   Audire ſopiti melos, ſed ſomnium
Inane viſi credere, vſquedum vigil
Hos inter vnus pandit aures & oculos,
„ Cubitoq́; pulſans proximum, Quis hic ſonus,
„ Mi frater, inquit, vnde lumen, vnde odos?
Is namq; totam mirus afflabat ſpecum.
   Repentè ſeſe territi dant in pedes,
Oculiſq́; verſis vndique, en cernunt humi
Statuam puſillam ſed venuſtam Virginis
Gremio gerentis Paruulum: hinc radij, hinc odos
Toto fluebant carcere. Iſtoc munere
Iuuenes beati, in gratias, in lacrymas,
In vota fuſi, in oſcula, expectant diem.
   Iſmeria vigili manè carcerem ſubit,
Cœptúmne ſit opus, ſcire curioſior:
Cernit etiamtum genua flexos, & pio
Geſtu frementes, vixq́; patientes ſui,
Oculiſq́; lumen haurit inopinabile,
Sorbetq́; odorem naribus, qualem ſuis
Sabæa terris, & ſuis Panchaïa.
   Stupore torpet fixa, ſed demum aſpicit,
Subitoq́; fertur impete in Pignus ſacrum,
Tam læta, quàm ſit ipſa Lætitia: aſt vbi
Retulère certi, non ſuæ artis hoc opus,
Sed inter aſtra conditam Diuûm manu;
Tam liquidiore delibuta gaudio
Iſmeria, iam non Iſmeria, ſed Lætitia
Eſt ipſa, & illi penè lætitiâ ebrij.

Exinde

Exinde statuæ nomen inditum fuit,
Quòd his in antro iam diù mærentibus
Longè dedisset esse tunc Lætissimis.
Ismeria sibi habet, & suum fert in larem,
Vbi mille donat basiis nunc Filij
Nunc matris ora, nunc vtrique duplices
Lacrymata palmas tendit, orat vt sibi
Rapta è periclis & furore Patrio
Ad Christiana sacra prompta sit fuga,
Vt & iuuenibus in Penates patrios.
Intereà amico dum sopori se dedit,
Olli & videndam se Dei Parens dedit:
" *Age Nata, votis annuo vestris, ait,*
" *Cras tuta vinctis cum tuis ini fugam.*
" *Dux ero remotas in plagas, quas Icone*
" *Donabis illâ, tunc mihi cognominis*
" *Maria sacro è Latice nuncupaberis.*
Dum suauiandos Ismeria tentat pedes
Corripere, somnum rumpit, illa abscesserat.
Molitur abitum seria, at simul Patri
Spem renouat, omnis absit vt suspectio.
Conuasat aurum, quà potis; condit sinu
Onychas, smaragdos, sardios, iaspidas,
Gemmisq; circumuestit Iconem suam.
Vbi vesper auram subijt, ipsa carcerem:
Vixq; intrò ocellos per fenestellam tulit,
" *Abeamus, infit, Domina Lætitiæ iubet,*
" *Ducem spopondit se fugæ, ducem viæ.*
Nec mora, reclusa est sponte septemplex, sui
Oblita strepitus porta; non canicula
Leui somnis vlla, non molossus grunnijt,
Non timidus anser sibilum emisit leuem.

Nemo

Nemo vnus illis obuius totis vijs
Vasta Cayri, & commodùm appellit ratem
Iuuenis decorus, tránsque Nili deuehit
Fluenta tacitus. Oedipo nil est opus,
Quis iste nauta fuerit. Hinc læti viam
Vltrà capessunt, mutuisq́ plausibus
Adgratulantur, mutuisq́ gratijs
Virgo iuuenibus, atque iuuenes virgini.
Sed ista tandem lassa delicatulos,
Iam iámque tumidos pustulis trahit pedes,
Quos rheda ferre sueta, non durum hoc solum.
Illius ergô sub cupressi tegmine
(Vbi & supernum Munus expostum fuit)
Sedetur, & tacetur, & quiescitur,
Dormitur etiam (an somnietur nescio,
Nisi fortè se volare somniauerint)
Dormitur, inquam, multa nox altissimè.
Ast dum recumbunt in virenti cespite,
Stat vigil Imago sospitatrix, Angelis
Hinc inde Diua iussa præstolantibus.
Iubet ab olympo, moxq́ nubes splendida
(Quæ tota currus, & rota, & temo fuit)
Iam sesquisomnes ambit, ac humo leuat;
Aligera pariter turba principi loco
Statuam reponit; inde succollans rotis,
Euehit in auras nescios. Sed quid Pharos,
Quid Aula, quid Tyrannus intereà pater?
Quos hic furores, suspicari est obuium,
Pluraq́ silendo quàm loquendo proloquor.
Benè comitatos transfugas terrâ & mari
Frustrà requirit vndique; auolauerant,
Dum bella plenas Luna monstrabat genas

Pelago

Pelago sereno, littorumq́ anfractibus.
Stupuere nautæ, qui maris tunc Inferi
Altum secabant, aut legebant littora,
Hanc contuentes nauium celerrimam,
Et insolenti luce candidissimam
Contra sorores ire, & illas findere,
Scitante Zephyro, quæ sit istæc impudens,
Quæ se haud salutet, imò trudat obuium?
A Nilo in oras Italas rectissimà
Sudo meabat æthere: hîc niuem hanc nouam
Sibi visus Apenninus opperirier,
Sed falsus ille tam fuit, quàm longus est.
Brundusio ad Alpes ipsa sese transdedit,
Romam hinc salutans, inde Laureti domum:
Tum transmeatis Alpibus, dein Heluetis,
Gallos super erat; hîc rotas demittere
Vicina Rhemis cœpit, alas vt solet
Nido propinquans stringere volucris suas.
Tandem arua spectans Fratribus natalia
(Hîc Eppa se prodebat, hinc Marchesium)
Delapsa placidè constitit nubes solo,
Superq́ viridi fronde (iuxtà fons erat)
Sese deonerat, quóque visum est, euolat.
Iacent repositi duriùs. vix cœperat
Aurora roseos tum capillos comere
Ad grande speculum Cynthij, cùm deserit
Iacêre fessos fessus ipsemet sopor.
Hi se per auras iter iniisse nescij
Mirantur, istuc ecquis id fontis tulit,
Quem pridianâ vesperâ non viderant.
Nec se cupresso, sed salice stupent tegi.
Haud procul Alexis aut Amyntas quispiam
Sil-

Siluestri auenâ musicam edebat suam
Campestris ipse Musa, dum placidum pecus
Stomacho euocatos ore remolebat cibos.
Iuuat hunc adire, perq; contari lubet,
Icone relictâ fontis ad crepidinem.
Ismeria tum prægressa, leniusculè
Scitatur: Ecqua regio, quod nomen plagæ?
Stupidus Amyntas tam absono linguæ sono,
(Nam Paphlagonicōs forsitan vel Slauonicōs
Affata fuerat) ille Teutonicam ratus,
Aut de Batâuis aut Caninefatibus,
Huic verba reddit Gallicano-rustica,
Nescire quid rei velit, quid frendeat,
Repentè vocem, & patrij agnoscunt soli
Idioma Iuuenes: inde sciscitantibus
Quid hocce Pagi, quem propinquum cernerent,
„ Marchesium, inquit, Eppa propter siluulam est.
„ Quas & videtis, en paludes proximæ, &
„ Fons, vnde abistis. Ergo Veromanduis
„ Iam fruimur oris? inquiunt. Motu leui
Capitis Amyntas annuit. Lætitia vbi es?
Vbi huius auctor & Domina? redeunt citi
(Namq; in paterno rure stare se vident)
Suam reuisunt Iconem. Fons proprio
(Res mira) maior alueo, Diuam suis
Circumierat vndis, atque vestem lauerat,
Multoq; melior inde redierat domum
Procul abigendis febribus salutifer.
Hîc demum habendis gratijs, spondent fore,
Iconi venusta vt surgat Aedes id loci.
Inde properatis hanc fatigant osculis.
Sed amor parentis vrget: hinc ocyssimè

Castrum

Castrum in Paternum tenditur grandi gradu.
Tum vidua mater conspicata filios
Rumore perdiu mortuos, quid egerit,
Quid matre visâ filij, & meritò & lubens
Sileo: silentem Lector audis, & probas,
Tibi hoc relinqui mente voluendum tuâ.
Ismeria cunctis interim est miraculo,
Et vnde Princeps illa? narrant filij.
Et vnde, dextrâ quam gerit, formosula
Icon Dei Parentis? hoc & filij.
Tunc vidua primis suauijs hanc figere,
Arctis deinde Ismeriam complexibus,
Meritas vtrique nisa grates reddere.
Ter mille procul hinc passibus, stat edito
In colle, celsis turribus spectabilis
Alauna quondam dicta, Laudunum modò est.
Itum hanc in vrbem; res probata Præsuli;
Ismeria sancti lota Fontis in labro,
Maria posthac audijt, fuit & bona
Conuiua viduæ, quamdiu vitam breuem
Superstes hausit; hausit inter hæc pijs
Immersa votis, virginisq; cultui.
Quid statua, tanta statua Lætitiæ Parens?
Huic struitur Aedes prima de ramalibus;
Exin venusto lapide moles ardua,
Vbi ipsa sedem penè pertinaciter
Legerat, & vnde mota, sponte reuerterat.
Huc turba numero semper innumero fluens,
Huc vota ferri, hic vota figi maxima,
Huc conuolare quanta quanta Francia.
Tristes cateruæ, bella, pestis & fames,
Morbi, & dolores, & pericla, & vulnera,

Labes

Labes ab alto, infesta Prædonum manus,
Et ipsa pueris Mors abortiuis comes,
Odêre Dominam, odêre Lætitiæ Domum:
Namq; effugantur, si vel eminus eminus
Spectetur Aedes, ilicet foras foras.
Toties abactus, & remissus in stygæ
Adsessor aut possessor ater corporum
Hanc trepidus execratur, horret vt picem
Quam bibit in Orco liquidam, & liquidam vomit.
Quod igitur Hilare, quod Pium rursum siet,
Hoc Aeuiterno marmori insculptum velim:
Quod Bauaris Ottinga, quod Belgis Hala,
Quod Serra-Montis Hesperijs, quod Hungaris
Regalis Alba, quodque Lauretum Italis,
LAETITIA Francis illud est, & erit suis.

AD MAIOREM DEI ET DEIPARAE GLORIAM.



PIA

PIA HILARIA CLARIS IAMBIS EXPRESSA.

Cicada super sancti Francisci digitis Deum laudat.

Ex huius Vitâ, cap.8.



EST in tenuibus & pusillis reculis
Laus Optimiq; Maximiq; maxima.
Propinqua ficûi cella Francisci fuit;
Cicada ficum manè fors insederat,
Canebat (vt sic efferam) cicaditè.
An ore, an alâ, nescio; stridor fuit.
Et hauriebat è fenestellâ sonum
Franciscus aure perlubente, sat sciens,
Quàm sit reipsâ Magnus in Paruis Deus.
Ergo cicadam propior intuerier,
Audire propior gestiit; Ades huc soror
» Cicada, paucis, inquiens, huc te volo.
Ficu hæc relictâ protinus delabitur
Alâ per auras remigante stridulas,
Superque digitos inuocantes inuolans
Residit; exin capite summisso Virum
Salute donat plurimâ. Diuus suo
Nutu redonat, ac ait: Canta soror



„ Cicada, canta, voce quâ è ficu ſoles;
„ Sit de Tonantis laudibus theſis tua.
Vix imperarat, mox & illa paruit,
Solitoque conſonantiùs, concinniùs.
Materia iuuit, iuuit ipſum pulpitum
Digitus Beati, & tantus Auditor ciet
Studium canentis, & populus auget nouus.
Namque vbi canendo prima diduxit labra,
Inuſitatis prouocatæ verſibus
Neptes, ſorores, filiæ, ſocrus, nurus,
Armenta tota, quotquot in plantario
Aderant cicadæ, huc aduolarunt illicò,
Audire cupidæ quid rei ferret nouæ,
Pars è propinquis graminum ſubſelliis,
Pars è fruticibus, arborumque brachiis.
At illa Theſeos atque mandati memor,
Alas volûcres ventilans, & oſculum
Pandens biſulcum, motitanſque cruſcula,
Facta eſt Tonantis in ſuâ vernaculâ
Encomiaſtes, dum ſui corpuſculi
Memorare cœpit principem Auctorem Deum,
Qui tam decoram fabricam compegerit,
Adeò venuſtas tibias (& id canens
Suas tuetur tibias) volubili
Strictoque iunctas genibus internodio,
Vt ſit ſalire derepentè in arborem,
Sit deſilire derepentè ab arbore.
Tum quæ cecinerat, vocis accentum grauans,
Intercalari condiebat carmine:
O vt relucet Magnus in Paruis Deus!
Franciſcus audit, & probat. Canit ſoror,
Oculoſque cantu graphica depingit ſuos,

Pro-

Protuberantes sphærulas crystallinas,
Nictare faciles, quando palpebris lubet,
Doctas moueri susque deque, dum cibos
Aut hîc acutùm cernit, aut hostem suum
Picam voracem, & omne coruorum genus.
Collaudat alas delicati staminis,
Agiles, tenellas, dædalas, partim mero
Virore, partim cærulo circumfluas,
Quas & relaxat, & reducit vt libet.
Nec illa, cantu rapta sit licet suo,
Intercalaris laudis obliuiscitur,
O vt relucet Magnus in Paruis Deus!
Franciscus audit, annuit. Pergit Soror
Canendo, Frater audiendo, fertilem
Suam ferinam dum cicada prædicat,
Et per virentes brassicas prædam bonam,
Quot nempe campas, pessimas mortalium,
Hirtum animal, hostem floridorum caulium,
Pleno vorarit ore: narrat vt iuuet
Ad has clependas pes adunci-furcifer,
Et ad vorandas dentis ambæ falculæ:
O vt relucet Magnus in Paruis Deus!
Sed lassa tandem cœpit irraucescere.
Franciscus audit, non probat. Cessa soror
„ Cicada, cessa. Mox & illa subticet,
Et tam silendi quàm loquendi tempora,
Scholaris instar, à Magistro percipit.
Abiit, abire iussa. Franciscus memor
Intercalaris carminis, canit domi,
Et concinendi multus auctor est suis:
O vt relucet Magnus in Paruis Deus!
Sed & hinc cicadæ munus edoctæ suum,

Seu manè orexim prouocent, seu cùm cibo
Iam lenierunt, ore nil aliud serunt,
Nil aliud animo (quà vehi licet) vehunt:
Vnum id per omnes seminarij locos,
Per arundineta, per salicta vnum sonat;
O vt relucet Magnus in Paruis Deus !
Disce à Cicadâ, quisquis audis, & Deo
Da pro tenuibus & pusillis reculis
Laudem Optimoque Maximoque maximam.

B. Ioannes Euangelista post grauiora negotia cum perdice cicure animum relaxat.

Ex Cassian. cap. 21. Collat. 24.

QVod agere diu vis, id aliquando non agas.
» Eneruis animus reptat in Negotia,
» Nisi à Sodale fulciatur Otio:
» Interque danda sunt iocosa seriis,
» Sed honesta, sed decora. Multò est optima
» Intercapedo, quâ laborem post quies,
» Et post quietem fit reciprocus labos.
Id ore clarum, id opere festiuum dedit
Euangelista, Pectoris promus Sacri,
Cui totus innatarat, accubuus Deo.
Dum regeret Ephesom Præsul, alita huic domi
Cicur à tenellis vnguibus perdix fuit.
Vbi se negotîs explicarat grandibus,
Leniter adulans euocatæ, nunc cibos,
Nunc ille potum porrigebat aliti,
Tergique leniebat æquor plumeum:
Si somnus olli adreperet, caldo in sinu

Sine-

Sinebat indormire pacatissimam.
Haud ita puerili: passerem hi si quem manu
Regunt magistrâ, nunc pedunculos premunt,
Nunc ora; digitis nunc bifurcis impetunt:
Contrahere sese passer, & ventrem tumens
Verti, reuerti, nilque ferre inuitiùs,
Quàm si vel vngue tetigeris caudam leui:
Tum namque tauro biliosior proco,
Iras acuere pertinaces, & graui
Ferire rostro lancinantis indicem.
Alumna perdix cum suo seciùs est Hero.
Blandùm ille mulcet, ipsa mulceri sinit;
Et si qua collo pluma deliret, suâ
Perdicis altor hanc reconcinnat volâ.
Nil tolerat ales gratiùs, quàm lubrico
Si lenis affricetur vnguis gutturi:
Et modò sinistram, modò vicissim dexteram
Resupinat aurem, quò Magister hîc scabens
Abigat molestam, si qua sit, pruriginem.
Fòrs ergo de volûcre Ioannes bonâ
Meridianas exigebat ferias,
Quando leuiculus quispiam è siluâ recens
Venator astat, fœdus etiam tum luto:
Spinosus illi ramus ora pinxerat
Vibice multâ: pendulus tergo lepus,
Et pharetra lateri est: gestat arcum dexterâ;
Cui iam remissis cornibus, neruus, velut
Dormire iussus, liber à crenis fuit.
Erat ille dudum Zebedæidem Patrem
Auidus tueri, &, si liceret, alloqui.
Videt ergo, quod videre non adeò iuuat,
Et turpè ringens instar iratæ suis,

» Quid video? mox inclamat. Id famæ virum!
» Id sanctitatis! cum volûcre! venimus.
» Illius ergô? tam facilè perit seni
» Senique tanto non reuersurus dies?
» Neque pluris ille Tempus aureum facit?
» Compesce, fili, verba, Ioannes ait.
» Dic age, solutum dextra cur arcum gerit?
» Cur? inquit ille. Luna si iugis foret
» Minacis arcus, perbreui neruus suo
» Neruo careret, & vigoris impetu
» Egenus iret; nec sagittam mittere,
» Nec, quò libido est, destinare fas foret.
Hîc Diuus illum cassibus stringit suis:
» Et vnde tanta nunc tibi miratio est,
» Quòd feriantem videris senem, cui
» Post alta rerum, & grauia curarum domi
» Forisque gesta, mens habet torpescere,
» Nisi requietis in sinu, vires nouas
» Haurire liceat? vtque cernis, haurio.
» Si te volente detur aliquando otium
» Quiesque fessis arcubus, quídni otium
» Quiesque fessis artubus detur sua?
Hæc senior: arcu ritè doctus è suo
Venator abiit: vsus & res id volunt.
» Neruo rigoris irremissi torpidus
» Lentescit animus; hinc per auras ludere
Et apertus ire gestit: vt catuli solent,
Vertiginosum qui volutarunt veru
Seu carnis assæ, seu volucrium ferax,
Diu rotantes & rotati; liberas
Iam nacti habenas, & patens pomarium,
Lætâ per herbam saltitatiunculâ

Nouos

Nouos resorbent spiritus, mentem nouam.
» Quod semper audes agere, semper non ages.

Ioannes Breuis Eremita fieri optat Angelus, & fit Angelus Breuis.

Ex Vitis Patr. lib. 5.

DIdicerat olim haud pœnitendo fœnore
Cum fratre Eremum colere Ioannes Breuis.
Id nomen olli iure vulgus indidit,
Nam sesquicubito longior paulò fuit;
Cœperat & Abbas more prisco dicier.
Et quos labores Solitudo parturit,
Haud tulerat ægrè, quando seu vertigine
Retrò actus aliquâ siue factus, vt solent,
Qui sanctiores esse plus nimio volunt,
Caliginosâ cocles à superbiâ,
Hos ore subitus fudit ad Fratrem sonos:
» O Frater, infit ille, quantùm me mihi
» Hominem esse sordet, quamque me piget mei
» Malè tuti, egeni, debilis: sed & leues
» Telluris istos nauseabundus cibos
» Nec fero, nec vltrà, ferre si velim, queo.
» Sempérne bibere, semper in somnos graues
» Leuesque ruere, semper hac circumdari
» Cogar lacernâ, quæ nec arceat gelu,
» Nec reprimat æstum? cogar & facere & pati,
» Quadrupedis instar, aspera, indigna, horrida?
Attentus aures interim Frater dabat,
Ecquò illa tandem dicta vergant, inscius.
Tono & tenore progreditur eodem Breuis:

„ Et has laboris tædet assidui manus,
„ Quas mille calli de tenellulâ cute
„ Fecere marmor. Totus hîc alter tremere,
Et ne relictâ sede in antiquas ruat
Periturus ollas Frater, expauescere.
Sed Breuis in altum se erigens, Cælum bonum!
„ Angelica quàm me vita mulcet! & trahens
„ Sursum illa, propiùs Angelos, propiùs Deum,
„ Propinat altas extases, haustus meri,
„ Quod Angelorum bibitur ore, Nectaris.
Ad se redire Frater, expulso metu.
„ Et Breuis: O, inquit, Angeli sors aurea!
„ O quàm beatum ducit æuum, qui sibi
„ Haud sarcit, haud resarcit, haud net, haud suit,
„ Verùm coruscus lucis amplo in pallio,
„ De luce solâ viuit, & solam bibit!
„ Stat igitur esse, & mox licebit Angelum:
„ Hominemque penitus exeo, exuo, expuo.
Repentè positâ veste nudatissimus
In altam Eremon euolat pernix Breuis,
Gemente frustrà Fratre, nec remoram dare
Valente manibus, nec valente vocibus.
„ Ea Paruulorum est indoles, vt corpore
„ Sit animus ollis grandior pedes decem:
„ Et more Bruti, quod volunt, valdè volunt.
Generosus ergo Nanus vnum & alterum
Fòrs septimumque vixit impransus diem:
Non ille potus, non cibi hausit miculam.
Quin hisce constans vocibus sibi suum
Stimulabat animum: Perfer, obdura Breuis,
„ Breuî futurus, id quod ambis, Angelus:
„ Breuique factus ales in trigesimum
Rapie-

» Rapiere cælum. Vix calente ſpiritu
Fatus ea fuerat,en tibi grandis culex
Scapulas futuri dente mordet Angeli.
Sed hinc & illinc cœpit œſtrum multiplex
Fodicare pectus,ſanguinemq́ue ſugere.
Fruſtrà ille dextrâ ſeu ſiniſtrâ ſemouet:
A ſemipoto pectore in tergum ruunt,
Et illud auidâ combibunt promuſcide.
Sed eſuribant & ſitibant diriùs,
Ferociuſq́ue murmurabant ilia,
Planiſſimuſq́ue venter,Angelo Breui.
Hîc Nanus aurem vellicat tandem ſibi:
» Sublimiora,ô Nane,nano quæritas,
» Quæ nec Gigantes,nec Gigantum auſint Patres:
» Quod Angelorum Nectar optas,hoc loci
» Non coquitur,aliâ ſede quærendum eſt tibi.
» Ad te tuamq́ue cellulam redi citus,
» Hominemq́ue reprehende, ſi tandem ſapis;
» Hîc agere vitam Cælitem,non eſt tuum.
Redit ergo greſſu ceſpitante ſemi-nex,
Et ſcipione nixus,& trepidus caput,
Breuiorq́ue quàm ſolebat,ad cellam Breuis,
Foreſq́ue & aures Fratris actutum ferit:
» Germane,cellam pande,rigeo frigore,
» Sitiq́ue totus enecor,totus fame.
Siletur intus. Rurſus exangui volâ,
Genuq́ue nudo ianuam pulſu quatit.
Dormire Frater ſimulat: & tandem vigil,
Fr. Quis es,quis inquam es qui meas tūdis fores?
I.B. Ego ille (Fratri crede) Ioannes Breuis.
Fr. Falli videris,aut videris fallere;
Quem te eſſe fictâ voce mentiris,meus

Nuper in hominibus esse Frater desiit.
I.B. Ego ipse Frater pumilo, Ioannes Breuis.
Fr. Fortasse nequam es pumilo, quem Tartarus
Alit ad minores malitias, aut ad veru.
I.B. Mi Frater, istos apage, si placet, sales:
Alterius egeo, nec iocorum tempus est.
Ne, quæso, Fratri proroga famem tuo.
Fr. Plenis culullis Frater ambrosiam bibens,
Totisque Nectar ille scutellis vorans,
Vsu atque fructu nunc abundè est Angelus.
„ Eheu! ait suspirio longo Breuis,
„ Homo sum, alienum nil Hominis à me puto.
Exaudiebat Frater interim sonos
Stipem rogantis, & latrantis impiè
Stomachi: misertus ergo recludit fores.
Pudore solo amictus ingreditur Breuis,
Hominemque sindonemque rursus induit.
Nil tulerit aliud: id lucri saltem tulit,
Et iure meritus id videtur optimo,
Quòd nuncupari possit Angelus Breuis.
„ Sic prima labes & ruina siderum
„ Ambitio quondam fecit Angelos breues.

Dæmon factus simia, cereum ardentem gestare iussus à S. Dominico, digitis amburitur.

Ex Vitâ S. Dominici, lib. 2. cap. 7.

DOminicus, illud aureum Caput Sacri
Ter & colendi, terque venerandi Gregis,
Quàm gratus Astris, tam fuit, si quis fuit,
Inui-

Inuisus Orco, inuisus Orci Principi.
Quoties Auernus, quantus ille quantus est,
Quidquid odiorum, quidquid intus fraudium,
Quidquid veneni, quidquid impetus fuit,
Id omne in vnum torsit? at frustrà fuit:
Hæc odia, fraudes, & venena, & impetus
Solius oculi vel minuto verbere
Dominicus amandabat in Nihili scrobes.
Factum est in orco, vt cum suis tribulibus
Certaret imi quispiam subsellij
(Habet ima, media, summa Styx subsellia.)
Pro mille cyathis igne mixti sulphuris,
Centumque plagis dedolando tergori,
Si non Dominicus rueret in casses suos,
Saltem leuiculæ seu minoris noxiæ.
Dumque ille noctis in pio silentio
Vigil exararet rem suo bonam Gregi,
Sensim nigellus in Beati cellulam
Et per caminum labitur dæmunculus,
(Nigros nigra decent ostia,) & mox Simiæ
Vestitur ora, tamque turpis Simiæ,
Risum vt cieret, & cieret nauseam.
Oculi fuêre luridi, pæti, caui,
Hirquis sinistra dextra contuentibus.
Nasum ille simus, & retorridus labra,
Totusque densos horridus pilos, nisi
Antarcticus quâ parte conditur polus.
Olebat hircos ala putidissimos.
Ingreditur ergo scenicus lauernio,
Proditque bellus histrio in proscenium,
Mediaque cellâ cœpit instar histricis
Nunc dexterorsum, nunc sinistrorsum in caput

Volui & reuolui, more nunc hinnullluli,
Aut lusitantis sphærulâ feliculæ,
Caput coniscans crebrà, crebrà saltitans,
Et conquiniscens, & genu pinsens humum,
Variare gyros, gestuumque vortices.
Et vellicasset impudentiusculus
Vestem Dominici pellubens, mosset loco
Auidus sedile, lumen extinxet, libros
Dedisset Euris ludibria: Timor vetat,
Vetatque, cælo freta, Diui sanctitas.
Bis, vestis oram proximè, duxit manum,
Bis & reduxit; ter sedile nisus est
Succutere, ter renisus exiliit retrò.
Videbat & tacebat, interim pia
Scribens Dominicus. Inde mirus morio
Figmenta mira factitat miris modis:
De ventre tumido molle tympanum creat,
De nare bifidâ tibiam, mox cum suâ
Tripudiat vmbrâ Satyricè ac Ionicè.
Immotus, indiremptus interim pia
Scribit Dominicus. Pergit Impudentia,
Viribus eundo crescit, & propiòr Viro
Effecta tandem, fit malo propior suo.
Super ergo mensam scriptitantis inuolat
Ardelio nugax. Hic repentè Dominicus
Nutu sinistræ, luminumque fulgure,
Mandat, vt eodem restet in vestigio.
,, Age, inquit, istoc ne pedem traduc loco,
,, Et hunc, velis nolisve, cereum gere.
Paret misellus, & nouus iam Lucifer
Fronte caperatâ restat, & cum cereo
Ardente fixus ingemit: pergit tamen

Diuo-

Diuo facessens, quà licet, negotium
Stridore grandi, dentibus dentes molit,
Subditque labio despicabundus labrum:
Iaculo oculorum flammeorum territat,
Dextrâ & sinistrâ & pedibus alternis minax,
Sesquipede linguam exertat; ingens halitu
(Quem trahit ab imis faucium repagulis)
Cum pertinace cereo bellum gerit.
Sed ludit operam, spiritum ludit suum;
Fluit hic inanis virium. Interim pia
Scribit Dominicus; interim ardens cereus
Edacis ignis damna tandem sentiens,
Morti propinquat, & propinquat vnguibus.
Vicinus ardet, Ole, res agitur tua.
Hîc Pantomimus vertit histrioniam:
Exuere tentat Simiam; non est potis.
Excutere ceram tentat; & non est potis.
Comœdus esse desinit; Tragœdus est,
Reapse flammis vstulatus pollicem,
Reapse frendet, vlulat, implorat Stygem,
Stygem vniuersam. Scriptor interim pius
Ioco pudenti sub cucullo lugubres
Ridere questus lacrymasque Simij.
Is abire tandem iussus ictu virgulæ,
Celerior Euro se recepit ad suos,
Vbi mille pateras æstuantis sulphuris,
Ictusque centum compluendo tergori,
Conuenta iuxta pacta, victus pertulit.
Viuat Dominicus & triumphet, dæmonem
Qui versipellem in pelle multauit suâ.

Dæmon naſo captus à S. Dunſtano.

Ex Vitâ S. Dunſtani, cap. 8.

SCAZON.

DVnſtanus, Anglicana gemma, viſcoſas
Opum ac honoris atque gloriæ bullas,
Et bracteatæ vanitatis armillas,
Velut putamen æſtimans nucis caſſæ,
Valefecit Aulæ, lubricæ viæ cœno.
Digreſſus inde, lætus ilicet ſeſe
Compegit arctâ cellulâ, rogatuque
Pulſare creber cœpit igneo cælum,
Vindicibus artus delicatulos pœnis
Cruciare, lacrymis impluens ſolum denſis.
Si cui venire, ſi luberet audire,
Creber ſalutis monita ſana dictare.
Quin penicillo, quo valebat inſigni,
Icuncularum ſigna bella diuarum
Subinde fingens, & ſubinde ludebat
Imitans in vdâ, quæ luberet, argillâ.
Erat & eburnos corneóſque crateras
Artifice torno moliens: caminumque
Fornaculamque machinatus & folles,
Variumque cælum, forcipeſque, fallendo
Sudore vario tempori, modò is lamnas
Argenteáſve ferreáſve tundebat
In varia anaglypha, nunc & æreas ſollers
Induſtrioque celte fabricabatur
Genus omne ſtatuas. Sic Deo & ſibi viuens

Placi-

Placida terebat tempora,& dies puros.
Inuidit Auctor inuidentiæ,morso
Non leuiter vngue,dentibusque luxatis,
Per & Acherontis ima summa iuratus,
„ O calue,faxo calue,ne diu tantus,
„ Talisque degas. Dixit,& viri formâ
Se conspicandum præbet ad fenestellam,
Sibique fieri fabrè quidpiam poscit.
Dunstanus ibat,iamque forcipes præstò
Admorat igni,& frusta virginis ferri,
Quando esse multiformis & merus Proteus
Scelus ille cœpit,voce,fronte,vestitu.
Agnouit ora mutuata Dunstanus,
Vrsum latêre veste subter humanâ,
Subque variante pileo doli nidum.
Dissimulat,atque turbulentiùs pingues
Extimulat ignes ingruentibus ventis,
Lithanthracesque congerens aceruatim,
Asperginisque crebrâ compluens imbre,
Incogitanti ferream fabam cudit.
Primùm seniculus ille visus est vultu,
Edentulus,capularis,obsitus rugis,
Similemque lanæ succidæ gerens barbam,
Colore nasum coctili parem cancro,
Oculum natantem in lippitudinis stagno:
Et scipionem motitabat ambustum,
Grandemque gibbum postferebat in tergo.
Tunc excreando,tussiendo,nugando
Nugas aniles,si potest,viro bilem
Ciere satagens. Interim Faber sanctus
Indulget operi,flabra anhela sustollit,
Agitatque flammas; fumus ater it cælo;

Ani-

Animoſa volitat hinc & inde ſcintilla.
Noua ſcena: namque prodit ore conuerſo
Dæmon puellus derepentè pulchellus,
Laſciuus ore, doctus eloqui mella,
Oculo decoro, ſed ſalace, criſpatâ
Comâ, ſub aures pendulâ, Paris totus.
Dunſtanus oculo contuetur obliquo.
Intereà folles torridùm, horridùm ſpirant,
Candere forceps properat, & velut prædâ
Geſtire viſus, & ſalire vicinâ.
Exin procacem, ſed venuſtulam Proteus
Dat ſe puellam, bella colla nudatam,
Niueam papillas gemmeas, capilloſque
Libidinoſi dente pectinis comptam.
Sperabat Orci pabulum, genis blandis,
Naſo venuſtè longiuſculo, labris
Roſeis, ocellis morſicantibus, voce
Meretrice, caſtum turpitudinis flammâ
Animum Beati vellicare furtiuâ.
Ille vice verſâ mox & impiger, dextrè
Collineatâ dexterâ rapit ferro
Candente naſum; peruicaxque conſtringit,
Ne quâ viâ vi præda poſſit elabi.
Exoritur atrox pugna: Tartaro teſte,
Ab orbis incunabulis par non fuit;
Et præcauente Tartaro, par non erit.
Viuit etiamnum nidor improbus naſi
Forcipe coruſcâ luculenter exuſti.
Dunſtanus igitur retroactus, & ferrum
Tenace comprimens manu, refragantem
Introrſus aduocare per feneſtellam
Naſum petulci dæmonis: ſed hic grandi
Certat

Certat vlulatu, certat impiis diris,
Queis animi Erinnys insolentior bullit.
Nostrate nares frendet igne torreri,
Et se superbus retibus suis captum,
Nasóque captum insanit à fabro vili.
Furit, execratur, imprecatur horrenda,
Deripere sese pugnat omnibus pugnis,
Pede, dente, linguâ dexterâ sinistráque,
Stridoribusque sibilisque decertans,
Et nunc maledico felle, nunc precum melle,
Emancipandi quæritat vias nasi.
Verùm labore sudat improbo, sudat
Labore dæmon improbissimo: nasum
Dunstanus arctat arctiùs, pio risu
Vinctum flagellans, impium facit ludos.
Veniâ ille tandem forcipis relaxati,
Nidore plenus, & pudore suffusus,
Repetit Auerni limen, occulens nasum,
Iocosa risus ansa ne suis fiat.
Iô triumphe, iô triumphe, Dunstane.
Iure ille sartor Inuidentiæ, pœnas,
Nil minùs opinans, has suo fuit naso,
Ipse sibi turdus, & vorans quod intriuit.

Ouicula sancti Francisci piorum monitorum memor.

Ex eius Vitâ, cap. 8.

Soror cicada si fuit, fuit & soror
Ouicula, dono fòrs tibi quondam datum,
Francisce, menti concolor animal tuæ.

Hanc

Hanc tenerè amatam, ſed piè, ſenſu pio,
Ceu lenitatis ſymbolon alebas domi.
Hanc non pigebat voce nutuque alloqui,
Sed & monere. Sæpè dixti candidè:
» Audi benigna monita, ſi ſapis, ſoror.
» Harum Parenti & Principi rerum Deo,
» Qui condit imbres gramini, gramen tibi,
» Te condit homini, condit & hominem ſibi,
» Quidlibet amoris ac honoris exhibe,
» Frequenſque grates redde pro captu tuo:
» Seu cum auida ſomni (lectulum tuum tibi
» Natiua ſternet culcitra) incumbes humo,
» Seu cùm reſurges, & ſalutans Phoſphorum,
» Hiante ſtabis ore, Cælum ſuſpice:
» Et quando, ſocias inter, in pratum rues,
» Famem vt repellas, & repellas vt ſitim,
» Cùm labra lymphis prolues illimibus:
» Caue ne vel vmbram pullulantis trifolij,
» Vel tenuis vndæ ſtillulam libaueris
» Primore labio, ni priùs ſuſpexeris,
» Cibus vnde, potus vnde labitur tibi.
» Do veniam vt ædem ſæpiuſculè ſacram
(Accliuis arrigebat aures Pamphila,)
» Intres, at intres, non haram vt ſoles tuam:
» Illuc moleſtos, indecoros, abſonos
» Inferre greſſus vnguis extremi time.
» Lanæ vt nitorem virginem ſerues tuæ,
» Ne te voluta more lutulentæ ſuis;
» Sed rore puro, aut frondis vndâ limpidi,
» Subinde lauere, macula ſi fuerit tibi;
» Si nulla fuerit, tu tamen nullam laua,
» Vt puriori in vellere placeas Deo,

Qui

„ Qui puritatis auctor est,amator est.
„ Vide ne arietes,néve in obuios ruas;
„ Caue siue morsu,siue morsiunculâ
„ Pecora,vel homines, vineasque vellicos.
„ Caue deuouendos flosculos altaribus
„ Vel ore laceres, vel bifurcato pede,
„ Malè feriatæ felis instar,proteras.
Isthæc bidenti iussa Franciscus dabat.
Ast illa posthæc omnium memor probè,
Molli recumbens herbulâ,secum sibi
Ea reuocabat,instar esi graminis.
Si cui veniret obuia è Fratrum grege,
Properabat olli blandiens,olli caput
Honoris ergô protinus summittere,
Caudam remulcens vestibus,flocco tamen
Nullo relicto,ne negotium daret.
Si feriari forsan adlubesceret,
(Suæque dulces bestiis sunt feriæ,
Neque semper arcum feriæ tendunt suum)
Non illa feli, non cani colludere,
Sed sola,sola si foret; sin,cum pare
Vel oue,vel agno contribulibus suis
Aut saltitare,aut cursitare ad terminum.
Audit canentes in pio Fratres choro?
Concedit illò præpropera,nullo duce,
Magnæque ad aram Matris inflexo genu,
Süaue balans,hac salute Virginem
Matrem salutis animal impertit pium.
Et dum tremenda,præcinente cymbalo,
Sacrificus altùm surrigit Mysteria,
Mora nulla, curuat poplites reuerens pecus,
Et testem honoris indit osculum solo.

Ride-

Ridebis Hugonota, si fòrs hæc leges;
Nasumque rugans inquies, Belli logi.
Frendebis Hugonota, si fòrs non voles;
Viuet, vigebit Veritas, Error cadet:
Germana Francisci soror, docilis bidens,
Frendente te, ringente te, laudabitur.

Hæreticus scrutari docetur.

Vide Basil. Epist. 118. in Eunomium.

SCAZON.

HAeretice scrutans omnia, & nihil scrutans,
Qui inane cudis & recudis examen:
Quid Prima rerum cum Manete scrutaris,
Et grande solium Triados, instar Arij;
Et illa tentas assequi, vt sophus quondam
Eunomius, in quem tela strinxit arguta
Basilius ille iure maximo Magnus?
Quid deinde tanto temporis tui damno
Scrutaris, instar improbi Berengarî,
An Christus insit Eucharisticæ mensæ?
Quid te fatigas, hæc minuta scrutando?
Pernice pennâ fretus, Icari more,
Scrutare potiùs digna mentis alatæ.
Scrutare talpas in cubilibus furuis,
Quâ nare bulbos, hortuli tui [illegible]zas,
Per multa spatia dissitos odorentur?
Scrutare Dominam noctuam, quid in rimis
Diem illa totum somniet latebrosis?
Quot deinde muscas noctu captet illuni,

Suos

Suos vt hieme nutriat domi pullos?
Scrutare Arachnem pendulæ colus matrem,
Quanam hæc amuſſi, quóve circino telam
Diſcriminare nôrit, arbores inter
Vtrimque filo penſilem, ſuper riuo?
Ecquo docente, ſtamen illa feſtinet,
Vbi nimbus atrox ingruit, reſorbere,
Suique ventris in penu reſeruare:
Vngues acuere, præda ſi ſtet in tricis:
Pedes viciſſim ſpiritu labellorum
Calfacere, diro ſi premantur algore?
Scrutare prouidentis ora formicæ,
An ſint anhelæ, dum cucurrerit, fauces?
Vbi ſe relaxet hepar aut diaphragma,
Vbi dorſuales ſpinulæ, quibus ſenſim
Capitis medulla prorogetur ad caudam?
Quid populus iſte Myrmidon, propinquantis
Oeconomus hiemis, horreis ſuis condat,
Tam fabrefactis horreis, per occultos
Terræ mæandros verticéſque diſpoſtis?
Quis hîc puſillum crederet Magiſtratum
Dare iura læſis, mortuis ſepulturam,
Stimulumque pigris, transfugis grauem mulctam?
Scrutare apiculam, nec verere ſcrutando
Acuminata vellicare poſtica.
Subi penates Regios, fores pulſa,
Regem ſaluta cum ſatellitum turmis,
Veniamque poſcens alueare rimandi,
Apum labores, indolemque pernoſce,
Flores legentûm, flaua crura turgentûm,
Dare properantûm mella cereis thecis.
Scrutare, quo ducente, quo magiſtrante
Tenel-

Tenellus ille ſerici pater bombyx,
Animalculorum iure Rex, (huic Reges
Dominiq́ue rerum ſupplicant, vt à vulgo
Egente diſtent atque plebe pannoſâ;)
Pretioſus inquam vermis, antequam belli
Deoneret auri, ventre quod gerit, filum,
Tamdiu labore maceratur ingenti,
Toties ſeipſe ſtringit, ac nouus pelle,
Nouuſq́ue roſtro, victitanſq́ue frondoſâ
Moro reſudat, pectoris ſui donec
Exenterator prodigus, laboratos
Det ore fuſos, byſſinumq́ue ſubtemen?
Scrutare tineæ, quæ tuam tibi mandit
Occulta veſtem, delicatulos dentes,
An atterantur, an ſubinde laxentur?
An ſtomachus olli largus, an capax aluus?
Si lapſa ab alto cruſculum ſibi luxet,
Quis medicus illam, quod malagma perſanet?
Scrutare falces ſcorpij bifurcatas,
Iaculumq́ue caudæ. Si momorderit, virus
Ipſum medela eſt, & medetur affrictu.
Cauſam nocentis & medentis indaga.
Scrutare, & vnde gutturi tuo figant,
Si te priores viderint lupi, rauim?
Cur non & illis te occupat priùs viſis?
Scrutare, cur palpêbra felibus Lunâ
Ineunte creſcat, exeunte decreſcat?
Scrutare culices, mobiliſſimam gentem,
Quibus vnda putris pectus, & cor, & vitam,
Et caput, & alas & iecuſculum format:
Siq́ue adlubeſcit, viſe quâ viâ, quâ vi
Promuſcis illa, fiſtuloſa ſorbendo,

Fit

Fit tuba canora,& nunc tibi cutem ſugit,
Nunc tundit aures cantico peregrino?
Scrutare glires,vt ſilenter,integra
Quando oua clepere moliuntur è corte,
Duo tréſve coëunt veſte noctis induti,
Et cum lucernâ fraudis,irruunt nido,
Ad oua tendunt,& reperta circumdant:
Sed illa moles in minuſculos rictus
Negat introire,reſpuitque geſtari.
Quid agant? ſuſurro fraudulenta glirino
Conſilia captant,exprimuntque captata.
Supinus vnus ſternitur,dein prædam
Pedibus prehenſans, atque ventre ſuſtentans,
Fit currus ouo; fit Sodalis auriga,
Fit & caballus; bella cauda fit temo.
Biforem in cauernam molliuſculâ rhedâ
Sic vehitur ouum. Dic age,ô cauernoſe
Scrutator,aſtus vnde tantus eſt gliri?
Scrutare volucrem,neſciam ſibi nidum
Exſtruere,ſed raptare non ſuum gnaram.
Ille ille cuculus,ales aureæ vocis,
Poſiturus ouum,iamque iamque quod fœtâ
Abiturit aluo,carduelis in lectum,
Aut motacillæ neſcientis irrumpit,
Aliena mactat oua,dein ſuum ponit.
Domum redire mater interemptorum,
Ouoque facilis incubare ſuppoſito,
Fotuque ſenſim fœtui dari vita,
Tandemque cuculi filius forâs ire:
Et grande nati pondus, improbè ſudans
Puſilla nutrix educare venatu
Araneorum, vermium,locuſtarum.

Scru-

Scrutator audin'? per tuam fidem narra,
Quâ parte cerebri delitescat id mentis
In matre cuculo, in carduele nutrice?
Scrutare, cur maritus ille gallinæ
Tanto leonem seu leam metu quasset?
Ouis, esto, balet: ruditum suum bardus
Asellus edat, susque rauca grunitum:
Baubet molossus, atque ganniat vulpes:
Leo nil moueri, nil leæna terreri.
Cuculúsque cuculet, esto, bubalet bubo,
Aquilæque clangant, perstrepat coaxatrix,
Geminetque coruus cras suum, suum cornix:
Leo nil moueri, nil leæna terreri.
Esto, caballus hinniat, boët taurus;
Esto, lupus vlulet, frendeatque panthera,
Frematque tigris, barriat elephas dirùm:
Leo nil moueri, nil leæna terreri.
Oscen diei sedulus resurgentis,
Si manè primùm voce gallus argutâ,
Aut voce leni consalutet vxorem,
Aut timidus hostes, inuidúsve riuales
Clamore tundat, obuios abacturus:
Tum leo moueri, tum leæna terreri,
Ponere furores, & iubas reclinare,
Caudamque ventri frigido subhastare,
Tandemque pauidi quæritare spelæum.
Contra leones gallus acer obtutu
Intrepidus astat, & suæ decus cristæ
Animosus agitat, atque gloriabundas
Expandit alas. Quære, belle scrutator,
Et vnde tantus terror est leænarum?
Et vnde tanta vis vigorque gallorum?

Scrutare

Scrutare remoram, dum reciprocos æstus,
Rabiemque pelagi insanientis irridet:
Dum mille remis, remigumque sudantûm
Validis lacertis, hirtus vnus exilis
Pisciculus obstat: dum frementibus ventis,
Rostra & rudentes anchorasque rupturis,
Suaque scopulos sede pænè rapturis,
Hærens carinæ, quas lubet, moras figit,
Has & refigit, vt lubet, mari, ventis,
Naui atque nautis nesciis vale dicens.
Mare, nauta, ventus & carina, mirantes
Ignota vincla tam repentè laxari,
Suos inire, quà dat impetus, calles.
Scrutare linguam dædalam, palatumque,
Fontemque vocis spiritum, laryngemque,
Rostrique valuas osseas, & inquire,
Quando eruditur psittacus suum χαῖρε,
Quo latere sese lingua cogat in vocem,
Vt χῖ, vt ἄλφα, vt & ἰῶτα componat;
Arrigat vt aures, vtque suscitet mentem,
Vt os rotundet, vtque gargarizanti
Similis, in oris intimo sui cælo
Imitata verba parturire contendat?
Tuaque tute sciscitare de linguâ,
Quî se ipsa libret intus, obstetricante
Cùm gignit ore duriusculum Tzetzes,
Aut glabriora verba Teutonum, densis
Consibulata consonantibus verba?
Scrutare pulicis arma, queis tuum tergus
Et morsicari cernis & rubricari.
Quis sensus illi (mox vt incubas spondæ)
Vt strata densa penetret, vsquedum tendat

Ad te benignis dentibus salutandum,
Nocturnus hospes hospitem, diurnusque?
Tandemque, tanta si libido scrutandi est,
(Vt hanc Calendis Ianuariis strenam
A te reportet, abs Adamico lapsu
Scrutationis impiæ pater dæmon,)
Scaturientes perdiusque pernoxque
Scrutare caligas, dum vacabit, Herodis.

Frater Adolphus hydriam lactis in caput suum effundit.

Ex Bellarm. de Transl. Rom. Imp. c. 2.

SAcer Ordo, sunc gloriosior, velut
Regum monili, veriùs dicam, velut
Superûm monili, pace non liceat tuâ
Huc deuocare de tuo Adolphum Grege?
Comes Holsatarum magnus Heros is fuit:
Census, honores, & voluptatem leuis
Non æstimabat pulueris dipondio.
Vxore cælo redditâ, domi duo
Olli fuere filij, ambo floridi
Aetate, formâ, viribus. Facto his vale,
Cucullum Adolphus pauperem sub nobili,
Francisce, contubernio sumit tuo.
Illic inediæ cultor improbissimus
(Sit venia verbo duriori) diriùs
Generosa crucians membra, quàm efferri queat,
Gratusque Superis victimarius sui,
Sic se ipse iugulat, sic ad aras immolat.
Dum manè quodam fortè cum socio pare,
Per

Per rusticana subditorum limina
Olim suorum corrogat Sodalibus
Mendicus escam; contigit, luto vt graues
Irent ab onere vterque sudantes suo,
Irent anheli: mixta sed piis pia
Alloquia precibus, & preces suspiriis
Iactis in altum, leniebant sarcinas.
Socius gerebat manticam grauidam stipe,
Genus omne panis, candidi, gregarij,
Et furfurosi, sæpè mures & situm
Sapientis: inerant dona gentis rusticæ
Sectilia porra, rapa, poma, brassicæ.
Sed grandem Adolphus hydriam, pari stipe,
Genus omne lactis, & serosi, & mucidi,
Et fortè menses aliquot obliti in penu;
Boniqúe floridiqúe perpauxillulum.
At at cohortem conspicantur eminùs.
Hos inter eminere Principes duo,
Circumpedesqúe pòst & antè plurimos,
Specie, iuuentâ, veste, pileo pares,
Conchyliorum delibutos sanguine.
Erat videre saltitabundos equos
Sinisterorsum, dexterorsum, nunc iubas,
Nunc capita venditare crebris nutibus,
Et reduplicati poplitis volumine,
Sese intuendos & sibi & aliis dare
Phaleris & auro nobiles, gressu arduos.
Equis, equitibus, alta versicolor caput
Pluma superexstat: & propinquant: & suum
» Socius Adolphum commonet: Nati en tui,
» Adolphe, vero veriùs, sunt hi tui.
Hic totus animi pendet, ac tacitus sibi

Susurrat: Ecquid hydriâ fiet meâ?
Seque ipse tuitus, hæret hoc ipso magè.
Erat instar hirci barba longa, olida, hispida:
Manus atra, callo dura more marmoris:
Pedes lutati, vestis attritissima,
Hinc inde panno dispari circumsita,
Et funis ipse præ senectâ tricies
Fractus, redierat tricies nodum in nouum.
Quid faceret? aliò digredi negant viæ,
Et aliquis vltrà progredi vetat pudor:
» Ergóne parentem luridum ac inglorium,
» Et hac gerentem fœtidâ manu hydriam
» Nati videbunt? quid animo voluent suo?
» Quæ verba rumpent pro pudoris, pro piæ
» (Si fortè pietas hæc erit) bilis modo?
Fatebor. Illud passus humani fuit:
Aliquid ruboris exoleti marcidas
Genas notauit: sed notari vix volens,
Sed & breuiculum: namque mox metum exuens,
Adolphum Adolphus induit, magno impete
Animoque frendens, Siccíne, ô nequam Pudor?
» Tam facilè tu me subderes? non est tuum.
» Tun'me in triumphum duceres? non est tuum.
» Fert aliquid animus, fert & aliquid hinc manus;
» Videbis & dolebis, hoc erit tuum.
Dictum atque factum: iam propinquis filiis,
Reuerenda Patris ora noscitantibus,
Is duplice palmâ lactis hydriam in caput
Sustollit, & quod inerat, id totum in suos
Effundit humeros, ora, barbam, brachia:
Et simul Adolphum sic Adolphus increpat:
» Itán' erubescis ferre lactis amphoram?

Iam

ı capite toto prode quid gestaueris,
prode veste totâ: in opprobrium tui
loris & ruboris,i,nunc albica.
Hæc ille victor: retroactus ilicet
ser cucullus factus effusi fuit
oua lactis huius hydria; Adolphus suo
epentè socio discolor totus,fuit
ınis verendus factus in vestigio,
leò capillos tinxerat lac impluens.
uid cogitasse crederetis filios
oc Patris ausu?quid petulcos assecias?
ors erubuerint,fleuerintve, riserintve;
biere. Rediit candidatus ad suos
dolphus; illum Ianitor vix agnitum
'ix ducit intrò,tam colore disparem.
dolphe viue,viue nobilissimâ,
llustris Heros,hac tui victoriâ,
dolphe dignâ te, & tuæ vestis Patre,&
Patre tam beato tam beatis filiis.
Næ victor ille est,qui pudorem,qui metum
Abire iussit exules,vt se Deo
Propiùs dicaret,& sacraret sanctiùs.

B. Franciscus de Borgiâ porcum gerit.

Ex Vitâ, lib.4. cap.1.

DVm luculentus est mihi focus domi,
Quid est necessum poscere è viciniâ?
FRANCISCVS etiam magnus heros BORGIA,
Orbique notus Hesperi,dux Gandiæ,
Idemque Pro-rex nobilis Valentiæ,

Omnia perosus angue peiùs & cane
Lutosa rerum sæculique commoda,
Sociis IESV Patribus nomen dedit.
Hic iam per aliquot se sibi & suis probè
Probarat annos, quando missu IGNATII
Lustrare iussus Lusitaniæ plagas,
Auctoritate maximâ, lustrat, monet,
Solatur, animat, carpit, emendat, docet.
» Opere docetur pleniùs, quàm pulpito;
» Iubetque validè, quisquis exemplo iubet;
» Linguâ validior est manus: & hinc Borgia
Laboriosa, despicata, vilia
Aggressus opera, sic facem præit suis,
Nunc fodere lætus, nunc olentes fœtido
Efferre sordes vehiculo promptissimus;
Iam vile cinctus supparum, pingues lauat
Procuruus ollas, seminudus brachia,
Tenaciorem rodit aruinam manu.
Iamque ibat aliis præpeditis clauiger,
Se Ianitori ianitorem subrogans;
Audire nolam facilis ostiariam,
Ibat, redibat: nunc egenis diuidens,
Et hos & illos alloquens, vt res dabat.
Sed en feribat pulsus insolens fores,
» (Etenim vetusto iure semper Gentium,
» Quicumque gestat dona, iuris hoc habet,
» Portam vt potenter feriat atque referiat)
Crepitaculumque clamitando tinnulum,
Sono sonabat crebriore grandius.
Volat repentè Borgia: sic tamen volat,
Laudata gressus vt regat modestia.
Vbi porta patuit, en suem oblatum in stipem
Am-

Ambuſtum, obeſum, euiſceratum conſpicit.
Quid faciat? aberant qui ſuem inferrent domū.
  Flocci ergo pendens, ecquis & quantus foret,
Vir id ſenectæ, id muneris, lubens huic
Se ſubdit oneri: tollit enectæ ſuis
Antica crura, lentiuſque coniicit
Ambos in humeros. hæc dein percommodè
Decuſſat ante pectus; occiſi caput
Et ora porci prominent inſtar mitræ,
Diſſectus illi venter exornat latus
Vtrumque, ritu Principalis cycladis:
Poſtica caudâ ſordidam verrunt humum.
  Regreſſus intrò ſarcinam bellam gerit,
Et neque pudori, nec labori, nec ſuæ
Veſti ille parcit; hæc cruore & vnguine
Adipata ſordet: ſudor ilicet grauis
Fluit ore toto, vi laboris improbi.
Pudoris hilum vultui prodit minus,
Quàm ſi per agros palliatus ambulet.
Et inambulaſſet in ſuillo hoc pallio
Gratanter vrbis vniuerſæ compita,
Cælo vt placeret, & ſtuderet proximo,
Si ſic iuberent, queis iubere dat Deus.
  Suſpirioſus in culinam diſſitam
Venire tandem lætus. Hoc ſpectaculo
Coquus in ſtuporem rapitur, ac impos ſui
„ Trepidata verba truncat: Ecquid conſpicor
„ Mi Pater, & vnde, & quomodo, & cur hoc pecus
„ Superque tergo? quin mihi, quin alteri?
„ Mora nulla, porcum deripit. Frater bone,
(Franciſcus infit ore leniuſculo)
„ Stuporis huius deſine. Anne mira res,

„ Si det vehiculum dulce bestia bestiæ?
„ Si porcus humeris hunc suis porcum gerat?
Macte, ô beate Borgia, huius tesserâ
Tam bellicosæ, tam potentis hac tui
Tuis relictâ Posteris, victoriæ,
Hæc te tuorum Cœtui Caput dedit.

Dæmon Lutheri magister discipulo suadet vt Missam missam faciat.

Lib. eiusdem Lutheri de Missa, tom. 7. fol. 479.

ATro nefastæ noctis in meridie
Lutherus, odium Cælitum, terræ pudor,
(Sacro cucullo nondum in vrticas dato,
Nequedum coronâ natâ in hispidum nemus)
Dormibat altùm facilè tricenos pedes.
Miraris? altis & profundis amphoris
Exhauriendis dimicarat pridie,
Profunda totus, alta totus amphora.
Dormibat, arctâ nare tam graues trahens
Retrahensque ronchos, omnis vt viciniæ
Tecta tremebunda dicerent, Furit Africus.
Sit venia fandi. Situla grandis ad latus
Condormiebat dormienti; sed simul
Condormiebat dormienti mensula
Vicina, pleni fida custos canthari:
Fors ne arma desint, queis tueri se queat
(Si solita noctu forsan ingruat sitis)
Venter adipatus & saburratus probè.
Erat & propinquum, deque clauo pendulum
Multifore buxum, vanitatis symbolon.
Dormibat, inquam, cùm satan olli affuit.

Gena-

:narum vtroque folle tantos ſpiritus
omebat ore Luther, vt tali halitu
cilè molares impuliſſet branchias,
entiſque dormientibus, vaſtam ratem
am graue olentes, tam Mephiticos, ſibi
arem vt quadrifidam ſatan oppilauerit.
Tunc aure blandùm vellicatâ, ſurrigit
utherus oculos, ne vel hilum territus
Iorrore ſpectri, ſit licet trux: efferum
Noſcit Magiſtrum à cornibus: tutus videt
Os tauriforme, noctiluca lumina,
Dentes ahenos, cornua minaciſſima:
Lætus ſalutat, atque porrectâ manu
Falces prehenſans vnguium, dat oſculum.
Debuerat arma Chriſtiana attollere,
Munire frontem ſacroſanctâ teſſerâ:
Debuerat atram vilibus ſcopis Feram
Foras abigere: ſcilicet, factum puta.
Id nempe curat excucullandus breui,
Breuiſque condus atque promus hæreſum
Princeps futurus, pluſque quàm modium ſalis
Eſurus olim cum parêdro dæmone.
E tripode tandem, quo ſedebat, eloqui
Cœpit magiſter peſtilentis eloquî:
» Audi Luthere, (verba ſunt ipſiſſima
De fæculento dæmonis gurguſtio)
» Perdocte Doctor (tam ſalute melleâ,
Tantæque laudis zinzibere Luthericus
Pulmo calefactus, phlegmatis foras dabat
Putrem ſaburram, ni metu didaſcali
Reſorbuiſſet & retentaſſet domi)
» Quid ſi ſacerdos non fores? Quid ſi ſacer

„ Bos potiùs esses? iurat id palear triplex,
„ Trinumque menti iugerum. Quid si tuas,
„ Quas rere Missas, dixero nugas meras?
„ Quid si cucullus, & corona & cingulus,
„ Et quæ propinquiora scribillant cutem,
„ Sint res trioboli, & vilis allij caput?
Hæc ille Torris & Cinîflo Tartari.
Discipulus aures mutus attentas dare,
Ne γρῦ Lutherus ne μῦ ausus obloqui:
Subinde læuam motat aurem, & annuit
Risisse stomacho quæ Magister obtulit,
Quæque improbasset, improbasse; quæ proba
Duxisset, & duxisse confestim proba.
Vrgere dæmon, concatenans lemmata,
Et mille nodos, mille cum sophismatis,
Quæ vel pusillo spiritu promuscidis
Culex macellus pumilusque rumperet.
Et obesus iste Pansa se vinctum ratus,
Futilibus hæret in salêbris: interim
A mentientis ore totus pensilis,
Fæces ad imas ex Auerni lecytho
Venena præsentanea miser ebibit.
Annosus exin Architecton fraudium
Tot paralogismos fœneos & iunceos
Digito vicissim supputans & hos & hos,
Femurque palmâ pulsat & terram pede,
Libransque sursum (sed deorsum crebriùs)
Malè feriatos indices, Diua omnia,
Omnesque Diuos impetit blasphemiis.
Hæc Suada nigris sessitabat in labris.
Omnia Lutherus totus haurit, vt neque
Tussire siccùm, non screare, non leue
Pity-

Pityſma iacere, vix & animam ducere
Inducat animum. Verba vix tandem tria
(Veniâ, vt decebat, prærogatâ primulùm)
Trepidanter affert: tantulum puer, aut anus,
Tantumdem agaſo treſſis obiectauerit.
Et quæ ipſe timidus atque vultu cernuus
Scholaris obmuſſarat, actutùm malus
Reicit Magiſter voce perterricrepâ,
Vibrare viſus tela tam trabalia
(Puras reipſâ pennulas, gerras meras)
Tantis lacertis, vt repèns occeperit
Sudore totus diffluere, totus metu
Pallere Luther: palpitat miſer pepo,
Dat penitus herbã, dat manum. O demens Luther
Tam ruere facilis, tamque flecti cereus,
Sic totus harpagaris vnco dæmonis?
Prælectionis bella finis hæc fuit:
Datum eſt Minerual & dictatron Inferi
Ludi magiſtro, dum Cucullus, & Pudor,
Omniſque Probitas, Conſcientia, & Fides,
Romana Sedes, viſque Diua Clauium,
Piique ritus, & dies Abſtemij,
Aræque Superûm, & cultus Iconum ſacer,
Roguſque Purgans & voluntas Libera,
Vigorque Meriti, & ius Rogandi Cælitum,
Placita piorum Chriſtiana Cœtuum,
Diuumque Cineres, dantur in mare Caſpium
Portanda ventis, dum Luther per Dæmonis
Cornuta ſyllogiſmata in molli ſcholâ,
Concluſus in Baroco, fugit in Barbara
Et execranda ſcelera, & errorum chaos,
Miſſamque Myſtes impius miſſam facit.

Pictor pius dæmones pingit teterrimos, & bono euentu.

Ex Vincentio Bellouac. lib. 7. cap. 104.

FAuete Superi, penicillum porgite,
Sed & colores & tabellam porgite.
Quod & beatum & prosperum & felix siet,
Pingendus est Pictor mihi, prudens, probus,
Pictoribusque rarus in paucissimis.
Non de nefastis sordium institoribus,
Qui de coëmptis in Erebo coloribus,
Et in tabellâ prorsus inuesti, lupas
Creare nudas, & lupanar assolent,
Et penicillo de suo lenoniam:
Qui nil negotî, nilque pensi aliud habent,
Quàm Bersabeas aut Susannas limpidi
Ad fontis vndam pellices exponere.
Apage saginam dæmonum, pus Tartari.
Fuit bonarum mentium dis Belgium,
Solertiumque mentium semper ferax.
Hîc par Apelli Pictor illustris fuit:
Maligna fama nomen oblita est. Erat
Huic volupe magnum dæmonas teterrimis
Coloribusque gestibusque fingere,
Vt, quidquid artis, quidquid ingenî foret,
Id omne in ora fœda congestum daret.
Dedit subinde tam hispidos, tamque horridos,
Verbo exprimendos vnico, tam dæmonas,
Vt intuentum præ metu starent comæ,
Artus rigerent, pallio se obnuberent.

Sed

Sed & vt volucres concolores è ſtyge
His aduolarent, & genus ſuum ratæ
Darent ſalutes; at frementes decipi,
De felle puro Tartari diras dabant.
Quoties querolas in ſinum Atri Principis
Tulere de Pictore funeſtiſſimas?
Pinxere quoties hunc colore non ſuo?
Iam pegma Pictor & theatrum penſile
Validis in altum trochleis eduxerat
Ante Mariani principes templi fores,
Diuæ parentis editurus icona,
Et huic Draconem ſubditurus Inferum:
Exin labore feſſulus pio leues
Dum nocte ſomnos duceret, circumſtetit
Satelles Orci de malignioribus.
Videt hunc nigellum Pictor imperterritus,
(Nam tetriores, atriores pinxerat)
» Audit tonantem: Quæ, malùm, hæc inſania,
» Male Pictor, animum faſcinat tuum tibi,
» Qui nos colore, quà potes, quà non potes,
» Per fas nefaſque decoloras improbo?
» Hîc Pictor inter-verba-rumpit: Euge tu
» Ne furue ſæui, neu coruſca cornibus:
» An ille bellus Aethiops, qui candicat?
» Annon venenum id optimum, quod peſſimum eſt?
» Annon vocamus optima inter optima
» Ea flagra, tergo dira quæ veniunt tuo?
» Sic (pace veſtrâ dictum id & factum velim)
» Dum vos colore formo deformiſſimos,
» Tum vos eodem pingo formoſiſſimos.
Non ſe ferebat impotens dæmon ſui,
Et captus enthymemate, in ſpumas iens,

Per capita iurat Stygia,per tetrum Cain,
Per ipſa Iudæ viſcera,& iurans ait:
„ Ego te (iocoſo Pictor interim labro
Minas ſonoras æſtimat poppiſmate)
„ Ego te (doloris & furoris ignibus
Cubile totum canduit,at euanidis)
„ Ego te docebo pingere, aſt malo tuo,
„ Meoque riſu. Dixit,& fœtens abît.
Reddit abeunti Pictor: I medius crepa,
„ Itaque totus rumpere & diſrumpere;
„ Et te docebo,quantuli teque & tuos,
„ Tuum & tuorum robur vnus æſtimem.
Manè ergo cœptum gnauus ingrediens opus,
Pigmenta varia, pegmate inſcenſo,parat:
Magnæ ille Matris Maximique filij
Corpora figurat,muſculos,venas,toros,
Veſtemque variam, cycladem que ſplendidam:
Et firmat operi plurimos huic dies.
Proceritate maior heroâ Parens
Auguſta Prolem ſuſtinet læuâ; aureum
Moderante ſceptrum dextrâ; capiti peplum,
Peplo corona ianthino ſuperſedet,
Corona gemmis,& ſmaragdis,& graui
Adamante diues. Hinc & hinc compti probè
Sidunt in humeris leniter pandis pares
Byſſo capilli,tæniâ vincti herbidâ,
Et vultus olli lucidus ſpirat diem,
Ipſumque ſolem porrigit ſpectantibus.
Frons alta,frons honoris & prudentiæ
Venuſta ſedes,in ſupercilij cadit
Decenter arcus: In feneſtrâ oleaginâ
Oculi renident tam decori,vt nil mage.

Hac

Hac voculâ dictum ſat eſt, Nihil magè.
Colore viuo purpuraſcunt hinc genæ,
Hinc & labella roſea: mole ſtat ſuâ
Columella colli, quam corymbi gemmei
Velant pudicè, coniuges coralliis.
Conchyliata & ſtellulis interlita,
Vndanſque veſtis corpus obnubit ſacrum:
Virgatus auro limbus hanc obambulat.
Quid de Puello criſpulo, formoſulo?
Refert Parentem natus. Haud aqua eſt aquæ,
Haud ſtella ſtellæ ſimilior. Genæ roſis,
Auro capilli diſputant; oſtro labra,
Stellis ocelli, liliis collum præit.
Vuam ſiniſtrâ geſtitat, ſed dexteræ
Tribus digitulis viſus adprecarier
Bonus bona bonis, atque riſu blandulo
Sacra ſubeuntes limina intuerier.
Ventum ad Draconem ſuppedaneum. Citò,
Bone Pictor, alios huc colores aduoca:
Tenebricoſo turbidoque non quadrant
Saturi, ſereni, floridi, perlucidi:
Alia paranda eſt harmoge: è fuligine,
E felle tauri, de cruore ſepiæ,
De putri amurcâ, liquidoque ſulphure,
Triſtique vomicâ peſtilentis vlceris:
Iſtis inumbra tergus illætabile.
Explet magiſter artis Ingenium ſuas
Partes abundè, tinctui deſit nihil:
Nec arte, nec labore Pictor vincitur.
Cuculus Auerni, qui minas nuper graues
In dormientem validiùs contorſerat,
Excubitor aſtat de propinquâ fraxino,
Palle-

Pallescit odio, liuet inuidentiâ,
Aliquid & ipse, si potest, monstri creat.
Stat ergo Diua calcibus tergum premens
Draconis: ille capite contuso iacet,
Magnamque partem dentibus quassis, suo
Eneruis vtero semiruptam subiicit
Caudam trementi: flammeis tantùm miser
Depugnat oculis, quos ad instar fulguris
Vibrat retortos in Beatæ fimbriam,
Altiùs inaudax contueri, pallidum
Colore ventrem lurido suppingitur,
Tergum colûbri more versicolor, pedes
Exunguis, aures fissus, atque alas lacer.
Premere furores, qui latebat cominùs,
Non potuit vltrà Cuculus; ilicet, Deo
Illud sinente, (non sinente nil potens,
Ne vel suo mouere formicam gradu)
Validum ciere vorticem, Eurus ingruere,
Vnà ingruere pincerna turbinum Notus,
Sublime pegma nutat vndatim, gelu
Lethale stantis membra Pictoris subit:
Aperire rictus inchoat dæmon suos,
Grandem vt cachinnum ludibundus exereet.
Iteratur ecce turbo, iamque iam ruit
Vulsis theatrum trochleis: Pictor pius
Ruiturus ibat, quando Diuam contuens,
Impos profari plura, clamat, Adiuua,
O Mater; ore vix ábibat, Adiuua,
(Res mira dictu, rara creditu) manum
Prætendit icon picta, labentem regit,
Mediaque in aurâ noxiæ expertem tenet.
Plebs tota derepentè conuolat, vident

Stupo-

Stupore fixi pendulum, mox & Dei
Miris Parentem laudibus in altum ferunt,
Scalisque saluus subditis Pictor salit.
   Pudibūdus Erebum Cuculus ingreditur redux.
Huic Prætor Orci præ furoris impete,
Hos deferenti cum dolore nuntios,
Trinode sceptrum impegit in malas malas.
Dæmon misellus præmij vicem, Hoc habet.
   Pictor poëta est, & poëta pictor est:
Sunt isti & illi penicillus & color,
Sunt & tabellæ, sunt & icones suæ.
O Diua, Pictor si tibi quondam fuit
Tantæ ille curæ, quæso te, sit & tibi
Poëta cordi, qui colore (fòrs malo)
Tua Virgo pinxit ora, conatu bono.

Moses Æthiops Eremita quatuor prædones ligat & portat.

Ex Sozomeno, lib. 6. cap. 29.

SCAZON.

PRædo cruentus fuerat Aethiops Moses;
Frontem ille, nares, labra, mystacas, mentum,
Cilia recuruus, ac eburneus dentes;
Oculosque flammis æmulos & introrsum
Validè sepultos euibrans; sed exanguem
Piceamque pellem nigra lux pererrabat.
   Vin' multa paucis? bellus Aethiops Moses,
Cetera torosus, (si torosus est taurus
Exuberanti solus altus in prato,)

Et

Et validus adeò, vt iure posset Alcides
Dici secundus, non secundus Alcidæ.
Hinc primipilus, dux deinde grassantium
Creatus omni calculo, triumphabat
Stupris, rapinâ, cæde semper antestans.
Sed persequentem qui solo dedit Saulum,
Et hic furoris & cruoris ardore
Exæstuantem subdidit sibi Mosen.
Diæ subactus impetu Potestatis,
Indigena Eremi factus, hîc casam struxit,
Hic sæpe cinxit hortulum, hîc Deo supplex
Vitam expiauit & scelera modis miris.
Quoties in armos sæuijt lacertosos
Duris flagellis, scorpionibus diris?
Quoties vibratâ, quâ fuit potis, dextrâ
In musculosum saxa pectus impegit?
Vel illa, quâ se torrefecit, immanis
Inedia truncum querneum trucidasset.
Quid hîc inausum liquit, aut inexpertum?
Sex totus annos peruigil stetit, somni
(Quod simile monstro, & sæculis inauditum)
Nihil aut quietis vel minutulæ carpens,
Haud genua curuans, haud sedens, recumbénsve.
Hæc inter, olli robur æneum stare,
Nil eliquari virium, velut palma
Quò plus subigitur, plus resurgit inuito
Pondere; nec aliter ille, quò magis sæuit.
Fama est, quaternos irruisse prædones
Hunc territuros, reculasque rapturos,
Quas cella pauper hortulusque seruabant.
Intro-ille-gressos conspicatus obtutu
Bipatente, dentes luridamque gingiuam
(Si-

(Simulans minarum) pandit ore diducto,
» Tum voce plusquam ferreâ crepans: Quò vos
» Fures nefasti, Turba vota Plutoni?
Pugnosque stringens, instar Herculis clauæ,
Vibrare velle fingit. Ilicet fures
Febriculosi præ metu, tremunt toti,
Genua labascunt: raptat ille collapsos,
Manusque cunctis vinculo & pedes stringit,
Dein reuinctos pariter in modum fascis
Manu retortâ iactat in suos armos,
Et gestat agilis, ceu lithanthracas dorso
Ferunt repando Candidæ Leodinæ;
Qualisve nemoris durus Arduennatis
Lignator humeris ligna portat erectis.
Hi more pecudùm frigidi tenellarum,
Quas lanius infert hostias macellorum,
Capita deorsum penduli, pedes sursum,
Hæc tacita secum pensitando mussabant:
» Quónam ergo vehimur? an per hunc cucullatum
» Pice atriorem, dæmonumque gentilem,
» Raptamur esca piscibus quadruplanda?
» Fors in profundos abs inhospitâ caute
» Dabimur hiatus & voragines cæcas?
» Aut fortè rapimur in locum, quod Ascetæ
» Vocant Capitulum, vbi cutis cutem pungit,
» Viuos vbi homines mortui scabunt rami?
Isthæc in aures ore mutuas surdo
Consibulati barbari susurrabant,
Sudore toti profluì. Interim Mosi
Iter ineunti passibus repercussis,
Sub onere tanto non abibat exile
Sudoris hilum, non anhelitus maior,

Et

Et ſpatia longa diſſitam petens Aedem,
(Quò tota Eremus ad Synaxin accurrunt)
Haud feſſus illic nunc-ſuis ſuos-olim
Exponit onus hoc dulce Fratribus fratres,
Cellamque repetit. Hos amanter Aſcetæ
Vinclis ſolutos,leniterque correptos,
Plenoſque frugis ſanctioris emittunt.
" Diuina virtus limites habet nullos,
" Bonitaſque nullos,neutra cingitur ripis,
" Nulloque regitur hæc & illa reſpectu.
" Sis ater,albus,Aethiópſve,Graiúſve,
" Agaſo mulióve, ſis petauriſta,
" Sis prædo,ſis laniſta: ſi velit cælum
" Dominuſque cæli,derepentè feſtino
" Rapidiùs oculi perſpicacis obtutu,
" Mutatus ibis alter-alter abs illo.

Agniculi à S.Franciſco liberantur, & docentur.

Ex Vitâ, cap.8.

AEquum eſt Hilaria ruſticus vt etiam mea
Exhilaret. Ille veſte nobilis ſuâ
Peruſium ibat,onere ſat iuſto grauis.
Veſtis erat illi vellus ereptum abs oue,
Non ſarta,non & ſuta (ſed qualem dedit
Decorticata iam pecus) foris pilos,
Intuſque pellem ſplendida in ſucco ſuo.
Nam teſte Româ,Romulique compitis,
Ea Italorum ruſticorum purpura eſt,
Latuſque clauus,dum locandi per fora

Roma-

Romana proſtant, aut colendis vineis,
Aut ſarriendis, aut fatigandis agris.
Duos gerebat hinc & hinc propendulos
Agnos, tenellis pedibus æquo pondere
Vtrimque vinctos in macelli victimam.
Sudore tandem preſſus, ac æſtu madens,
Agnis repoſtis alterutrimque, aſſidet,
Trahitque feſſus ilia. Sed en commodùm
Franciſcus illac: & priores hunc vident
Humi iacentes & gementes agnuli,
» Tum clamitare voce maternâ: Tuis
» Franciſce fer opem fratribus. Frater pius
Aures & oculos admouet ſpectaculo.
Vicem gementum ſollicitus, & congemens,
» Bone vir, quid, inquit, quid patrare in te aut tuos
» Hi fraudis expers animal, & par innocens
» Agni potuerint? nulla-dum illis cornua;
» Mera cera frons eſt & nocere neſcia.
» Gingiua nondum dentiit, tute id vides.
» Pedes habere laneos, in primulis
» Intaminatos vngulis, tute id vides.
» Quorſum ergo ſæuis? quid reuinctos diſtines
» Malè ominatis inſolenter funibus?
Quorſum? inquit alter, ad macellum defero.
Franciſ. Hos in macellum? cuius ergô? ediſſere.
Ruſtic. Inopia cogit ferre, coget vendere.
Fr. Sed enim coëmptis quid futurum coniicis?
R. Quid his futurũ? quod ſolet. *Fr.* Sed quid ſolet?
R. Iugulum Magiſter lanio fodiendum petet.
Fr. O ſæua lanij dextera, ô mens ſæuior!
R. Exenterabit, pelle nudabit ſuâ.
F. Poterit in agnos id patrari innoxios?

R. In

R. In multa cæsos frusta venales dabit.
Tunc alius armos coëmet, hic pedunculos,
Hic vellus, ille capita, quisque prout volet.
F. Quid isti emaces hisce mercibus parant?
R. Ibit in ahenum pars coquenda, pars veru
Torrenda, multos ad focum gyros dabit.
Hîc Diuus ingemiscit, & tacitus sibi,
» Haud ita futurum est, inquit, vt quidem putas.
» Dein allocutus rusticum: Mi Tityre,
» Vin' tu pacisci? si lubet, te istoc meo
» Ego munerabor pallio, & tu me tuis
» Donabis agnis. Tityro pactum placet,
Placetque Sancti pallium; sed huic magè
Fratres tenelli, quos macello, quos neci
Eximere gaudet, tutor Innocentiæ,
Memor Innocentis (qui neci dandas oues
Pretio Cruoris emit integerrimi)
Franciscus Agni. proinde quâ potest viâ
Colit agnus agnos, innocentes innocens.
Abire nequeo, quin eâdem lineâ
Complectar agnum cum gemellis fratribus.
Hunc gestibusque nutibusque commonens
Franciscus erudiuerat domi probè,
Probè educarat. Fortè dum foras iit
Beatus, agnum Virgini mentis bonæ
Commisit, addens iussa primùm seria,
Domi vt forisque prorsus innocens foret;
Parere Dominæ nutui promptissimus,
Gratusque cunctis, & molestus nemini.
Audiuit Agnus, & lubens obaudiit.
Si fors adiret Domina Diuûm limina,
Adibat Agnus & volens & præuius.

Cur-

Curuabat illa poplites? mox & ſuos
Curuabat Agnus. Domina ſi ſurſum pios,
Subalbicantes (feminæ vt ſolent piæ)
Tollebat oculos; æmulus moris pij
Nictabat oculis Agnus in cælum ſuis,
Labriſque trepidans inſtar orantis, preces
Et vota Superis gratiora quàm tuos
Proce putris hymnos, gratiora quàm tuos
Marotte Pſalmos, gratiora quàm tuas
Horas Simonis abnepos, Agnus dabat.
Si quando plumæ in denſioris alueo
Dormiret illa manè longiuſculum,
Et ſtata precandi præteriret tempora;
Mora nulla, Frater Agnus hanc beê beê ſuo
Deuotus excitabat, hanc & cornibus,
Quæ fronte molli germinabant, impetens,
Abire ſtratis imperabat mollibus,
Imamque dente luſitante fimbriam
Mordebat, ædem vt prouocaret in ſacram.
O Agne jam non agne, ſed doctor bone,
Quis te beauit hiſce diis dotibus?
Franciſce, ludus hic tuus, labos tuus,
Morum vt magiſtra facta ſit homini pecus,
Digna pecus aures vellicare dyſcolas,
Digna pecus oculos claudere ſalaces, tuos
Leuicula virgo, leuicule iuuenis tuos,
Qui pia ſubitis adyta, non rei piæ,
Non cæli amore, non honore Cælitum;
Sed vt videri vel videre fas ſiet,
Et hoc videre vel videri ſit nefas.

D.Mar-

D. Martinus leporem canibus eripit.

*Vita cap.*10.*lib.*2.

Hilaria venies, si placebit, in pia
Martine Præsul magne, magni Præsulis
Sectator Hilarî, cùm suos ad Pictauos,
Inclytus Arij victor & Constantij,
Remeauit olim, gratulante Galliâ.
Sancti ergo lucri gratiâ visens suos
Martinus ibat; en tibi venantium
Videt, audit agmen eminùs. Iam cœperat
Tarantarare cornicen, baubant canes,
Nemora rebaubant, territi sudant suis
Lepores in antris, in suis vulpeculæ
Dolo refertos codices voluunt suos,
Asperginemque concoquunt suam vafræ;
Sed apri, sed atri dentibus vacant lupi,
Vacant parandis in canina vulnera.
Venator hinc & inde præstolans feras,
Post ille quercum latitat, hic siccâ in scrobe
Vinctas Lyciscas distinens ægerrimè,
Euariat oculis, præda quà fòrs effluet;
Nodosa lina tendit alter fibulâ,
Dumeta fodicans alius ense peruio,
Densos canorâ vòce territat rubos;
Suasque partes præstat impigerrima
Gens camura, plebs pusilla, villos subnigri,
Nequam catelli, qui cauernis abditam
Feram, latrantes ore vocalissimo,
Nolit velit, prodire compellunt foras.

Pro

Pro ſe ergo quiſque (non minùs quàm ipſi viri)
Catuli,moloſſi,lælapes,dromades, napæ
(Sit venia dicto) quiſque pro ſe ſunt viri.
Sed diu tonuerant, fulminauerant diu,
Exarſerant & ipſa pænè cornua,
Et ad vſque rauim collatrauerant canes;
Ludebat operam vir ſuam, canis ſuam.
Non vola ferarum,non erat veſtigium.
Crebrà repetitas ecce poſt indagines,
(Lucina fer opem)ſilua tandem parturit,
Ridiculus exit paruulâ è cauernulâ
Cacuminatis auribus lepuſculus.
Videtur,acclamatur;ocyùs, ocyùs,
Fugere celeripes ille præcipiti gradu,
Factus volûcris,factus aliger metu.
Vbi non videri ſe videt, (fòrs ſepium
Aut collis vmbrâ ſemitutus) hîc ſibi,
(Vt perſequentum fallat olfactus canum,
Mira fugientis indoles,mirus dolus)
Rubum ſubintrat denſiuſculam,dein
Ternis,quaternis ſaltibus per aëra
Se librat vltrà,tum redintegrat fugam.
Venêre citiùs nare quàm pedibus canes,
Subeuntque vepres; alteri alter obuius
Linguâ caninâ fantur,Hîc lepus fuit.
Gyrant,regyrant, iam coniſcant frontibus;
Iam retroactis naribus reciprocant,
Naſoque terram centies diuerberant.
Senſit melampus quiſpiam leporis dolum,
Gyrum relinquit & referueſcit ſequi.
Sequitur ſequentem rectâ amuſſi narium
Podargus aliquis; primus is leporem videt,

Sociosque primus commonet; mox aduolant.
Subclaudicante tibiâ lepusculus,
Heu, ille tandem fessulus, lento gradu
Sese trahebat, & sibi perpauculos
Superesse gressus iam videbat ad necem.
Quid faceret? vltrà flexibus densis canem
Frustrare frustrà est: nullus effugio locus;
Iam iamque in armos dens melampi figitur.
At hæc, viando dum propinquat, intuens
Martinus animo colliquescit, & pij
Aurâ fauoris in lepusculum, graui
Increpitat oculo ac ore sectantes canes,
State, inquit; & stetere. Vinctos crederes
Subitis catenis. Et redit lepori vigor,
Et fuga celerior, saniorque tibia.
Volat ergo. Clauo distinentur hi suis
Velut trabali conditi in vestigiis.
Hic motat aures, alter affixos humi
Et lambit & relambit incassùm pedes;
Ille ore, nare captat auras: lugubrem
Simul vlulando collatrantes næniam.
Ita restitêre, donec in tuto fuit
Extra canini dentis aleam lepus.
Martine lepori tam pusillo tam pie,
Te obtestor vnum, si periclum fors mea
Stygios subiret deprehensa per canes
Animula vagula; voce quâ è cælo potes
Dic, State, stabunt; dic, Redite in Tartara,
Citæ redibunt. Dic animæ vt & euolet;
Et euolabit ocyor lepusculo.

B. Iuni-

B. Iuniperus ſuem alienum pede truncat in Fratris ægri gratiam.

Ex Chronic. S. Franciſ. lib. 5. c. 35.

SCAZON.

IVniperus (Arbos illa, cuius intêgras
Franciſce ſiluas diceris peroptaſſe,
Sublimis Arbos Ordinis Seraphæi,
Deque illa primis) tam fuit columbinæ
Adeoque niueæ mentis, vt bono iure
Audire poſſet Innocentiæ Proles.
Aſtabat vni de ſuis, cui morbus
Grauior orexin, & famem peregrinam
De more ſtomacho procreârat euerſo.
Iuniperus ergo blandiuſculè ſcitans,
„ Mi Frater, inquit, vin' tibi quid apponi
„ Aut iuris atri, aut offulæ ſaporatæ?
„ Non. An minutal trunculoſque veruecis?
„ Non. An moretum fortè poſcis herboſum?
„ Non. An placenta ridet vmbilicata?
Reſponſitando feſſus, æger abnutat.
„ Quid ergo ſtomachum placet hunc tuum tandē?
„ An pes ſuillus? Hoc erat quod ardebam,
„ Exclamat æger, terque replicans: O ſi!
„ O ſi ſuillum quis mihi pedem donet!
Iuniperus audit, & abit. Ilicet ſumptâ
Furtim machærâ proximum petit pratum,
(Hîc vbi ſubulcus villici gregem paſcit)
Suem inde raptat obuiam, pedem truncat,

Adeoque properè ſus fuit tripes facta,
Vt nec moloſſus allatrare, vix porcus
Opem rogare, non ſubulcus afferre
Potuerit opportunus. Ocyùs Frater
Domum recurrens, inde curat elixum
Pedem expetitum porrigi laboranti.
Aſt vbi cruore tota prata ſignari,
Vbi & ſubulco claudicare ſus viſa,
Pedo relicto, fiſtulaque concluſâ,
Accurrit vlulabundus ad pecus læſum,
Cruorem arenâ ſiſtit, obligat vulnus,
Porcum retrogradum per ſuperſtitem plantam
Hero reducit, remque nuntiat mœſtam.
Metuens macellum, & ſentiens pedem truncū
Sus præ timore, præ dolore grunibat:
Suæ ſubulcus condolens ſui flebat:
Herus in furores totus ibat & diras,
Queis deuouebat filios Parentemque,
Gregemque, quantus quantus eſt, Seraphæum.
Franciſcus olli condolere, iacturam
Sartum ire ſpondens, & ſuas reo pœnas.
Iuniperus emiratur ob Bonum Factum
Tam furere poſſe quempiam. Sed & iuſſus
Rogare ſupplex villicum, rogat ſupplex;
„ Et fateor, inquit, ſum tui reus damni,
„ Culpamque damno, culpa ſi velit dici,
„ Aegrum iuuare. Vix furore prægnantem
Pugnum abſtinere ruſticus. Perinfenſi
Ruere repentè Iuniperus in amplexum,
Et oculo, & ore, & mente candidâ fari:
„ Vir bone, potéſne (teſtor hoc tuum pectus)
„ Securus operam præſtitam pio Fratri
Mino-

„ Minoris æstimare quàm pedem porci?
„ Feci vt pateret & tibi & tuis cælum
„ Pio pede lutosi pecoris;& doles factum?
„ Redibit ægro sanitas,tibi merces,
„ Si te volente claudicet tuus porcus,
„ Et vis rependi damna,damna tantilla?
Flexit leonem turtur,ac ouis taurum.
Non modò precanti perbenignus indulsit;
Sed tripede porco protinus trucidato,
In frusta cæso,luculenter assato,
Lautè apparato,cum tomaculis fartis,
Succidiisque pinguibus,botellisque,
Et quidquid obiens sus edule legarat,
Villicus opiparam Fratribus dedit cœnam.
Hoc potuit ille candor,illa nix mentis,
Aegrum leuare,turbidumque sedare.
Potuit,vt ægro pes resectus in mensam
Reliquus egenis iret in stipem porcus.

Hæreticus minister fur monedulæ egregiè exceptus à monasterij Ianitore.

Ex Gretseri Agonist. in Proœmio.

SCAZON.

ISlebiorum de tribu Ministrorum
Fuisse nuper quempiam vspiam constat,
(Non vtique multus annus est) Ministellum.
Hic manè toto Prædicanticas spumas
Per plebis aures,ore prorsus aprugno,
De pulpito sacerrimo ministellans
(Fidem nouare si licet Nouatori,

Nouare voces & licet poëtanti)
Et Disciplinas Cycladasque setosas
Idque genus arma corpori refrenando,
Sine more rostro vellicârat immundo,
Ad vsque rauim, ad vsque sputa pulmonum.
Meridiano dein cibo focillatus,
(Animi leuandi, corporisque laxandi)
Intro-ille-gressus hortulum Monasterî,
(Quod in propinquo fortè visitur) magni
Non augur infortunij, quod incumbit,
Cicurem hîc volûcrem conspicatur; hanc scrupi
Expers, & expers conscientiæ raptat,
Raptamque braccis follicantibus, nullo,
Vti arbitratur, conscio, suboccultat.
Non fallit horti ianuæque custodem:
Mora nulla, præsens aduolat, reum furti
Monedulamque deprehendit occultam.
„ Pessime Minister, inquit, hæc tuus Luther
„ Sub pileoque pallioque fallaci
„ Documenta nutrit impudens? viden' collo
„ Quam texuisti fortè iam tuo pridem,
„ Viden' vt paratam res rediuit ad restim?
„ Quid te futurum reris, ad Magistratum
„ Si te per aurem destinaro cleptricem?
„ Actum est, peristi, te tuo Ministratu
„ (Qui tibi, tuæque Lesbiæ & tuis pullis
„ Plenis trimodiis horreoque metitur)
„ Excidere certum est. Hic tremore contusus,
„ O suauis, inquit, Atriensis ignosce;
„ Ne quæso, ne me defer, en tibi nummos:
„ (Abnutat ille;) deferésne? (nutando
„ Id velle visus) molle pectus amplexor,

Ne

,, Ne defer,ego me ad dira quæque mox pronum
,, Tuo arbitratu perferenda ſummitto.
Præſtò igitur illum Ianitor ſequi mandat.
Sequitur ad inſtar victimæ,Diis Flagris
Mactandus,& ſacrandus,& reſecrandus.
Poſtquam in receſſus atriarios ventum eſt,
Deripere veſtes,expedire thoracem,
Nudare terga iuſſus eſt Miniſtellus.
Et hìc magiſtrâ voce Ianitor clamat:
,, Viden' hoc flagellum miſſile in tuos armos,
,, Et furis armos; nunc tuum tibi tute
,, Exaſciabis tergus his dolabellis.
,, Qui Diſciplinas angue peiùs odiſti,
,, Et aſperatos fune tortili neruos,
,, Nunc experire,néve tergiuerſare,
,, Verſare tergum te volo,iubeo,mando,
,, Loroque lumbos defricare furaces;
,, Ego *Miſerere* (cognitum tibi Pſalmum)
,, Hic pellegendo,tempus interim ludam.
Legem miſellus imperantis acceptat,
In genua dat ſe flexa ſupplicabundus,
Thorace poſito,veſte ſubter ereptâ
Dorſum reuelat.grande iugerum carnis,
Quod vix ararent de die boues bini;
Ad vmbilicum pænè, penſiles mammas
Anteriùs olli cernere eſt. Sed ô alti
Fauete cæli tam pio Lutherano,
Tam carnis hoſti,dum flagrantibus flagris
Iuuat hanc domare, ſi iuuat, quod & tædet,
Pudet,pigetque;pœnitetque compulsâ
Peragere dextrâ. Quod igitur ſiet fauſtum,
Quod vortat,& reuortat optimè; pulſat,

Carneumque tympanista tympanum tundit.
O si sorores vlmeæ, aut recens vimen,
Viridesque tiliæ filiæ forent præstò!
Irent, redirent viridiùs sub axillas,
Inscriptitarent aptiùs characteres
In hac papyro candidâ suos Tax Tax.
O si adfuisset ambidexter, armatus
Dextrâ & sinistrâ carnifex, & hac pectus,
Illacque dorsum lancinasset alternis!
Ignosce Lector, mentis haud malæ votum est;
Amant Camœnæ Prædicanticæ alterna.
Vix prima fuerat sculpta tergori vibex,
Pandens Minister ora, contrahens armos,
» Exclamat: O-he iam satis, satis diræ,
» O belle Custos, grandinis: fatigati
» Miserere, Custos (rursus inchoat cœptum
Miserere. Custos) & volebat inscriptas
Scapulis sinistrâ computare vibices;
Cessante Lector cessat, & nihil prodest
Cessasse scapulis, quas redintegrat pulsu,
Sic dorsuale purpurascit abdomen.
Iniurias vt vindicaret, in tergo
Lasciuiebat Disciplina nudato,
Suoque spontè grauiùs ibat impactu,
Ac si audiisset, manè quas dabat sannas
In Disciplinas Prædicans, suo more
Ad mentiendum fœda rostra diducens.
O quàm hic libenter ictibus retundendis
Manum obdidisset; durus impedit Lector,
Balbutiendo duplicans, *Tibi soli*,
Ictum vt Minister duplicet sibi toti.
Si lentus agitet lora, Ianitor lentus

Sua

Sua mouet ora, Muſicæ vt iubent leges,
Legiſque fuſtuariæ caput nonum.
Et ſi feriret aërem loco tergi,
Ianitor hiabat, aëriſque captabat
Simulanter auras: ſic pari meant paſſu.
Demum vt deinceps clepere dedoceretur,
Docebo iniquos tardioribus labris,
Productiore ſpiritu dedit Lector.
Dorſo gementi, culcitæque vibicum,
Totique anhelo ſpiritus viro deſit,
Et pænè linquit animus. Aſt vbi tandem ad
Vitulos propinquat, gaudium flagellanti eſt,
Sed maius inde gaudium flagellato eſt,
Idem flagellans ſit licet flagellato.
Pauſante tandem Muſicâ, organum pauſat.
Recipere veſtes iuſſus; haud morâ magnâ
Raptat, abit, humeros confricans calefactos,
Subinde trepidans, & ſubinde reſpectans,
Ne fors ſequatur Ianitor, reformidat;
Submurmurillans hanc monedulam tanti
Vænire, quando vix teruncio conſtent
Quæ venditantur in foro. Interim iurat
Se Diſciplinam haud vltrà nuncupaturum,
Sed Diſplicinam. Teſtis eſt duplex armus,
Cui placere tale non poteſt mulſum.
Stultitia ſtulti colligatur in corde.
„ Hanc diſciplina multichordis exculpit.
„ O ſi (ô beatis annuat Deus votis)
Si Diſciplina Prædicanticos lumbos,
Vel obeſa terga crebriùs ſalutaret,
Breui cucullos in ſuos remigrarent,
Qui clauſtra nocte ſubdolâ fefellerunt.

Achas miræ pietatis puer.

Ex Cantiprat. lib. 2. cap. 28.

FLandris Thorouda eſt oppidũ. Hîc Achas puer
(Sanguis parentum ditium) vix vnicum
Degendo luſtrum exegerat, quando duos
Domo in paternâ conſpicatus hoſpites,
Quos mantica illò duxerat, Prolem tuam
Franciſce, Prolem Diua Paupertas tuam;
Amore ſancti prouocatus Ordinis,
Caput cucullo petiit ac tritâ tegi
Artus lacernâ, nudipes incedere,
Grandi coronâ verticem circumdari,
Et fune pænè nautico lumbos premi.
Et modò videre eſt æmulos. nam plurimæ
Pueris familiæ nunc cucullatis ſcatent,
Nec improbando more; ſi verum tamen
Etiam profari liceat, & verò licet,
Olli frequenter impiant veſtem piam,
Dum ſe luto, dum ſe niue & ſaxis petunt,
Vellunt cucullos & capillos mutuos,
Pugnis vtrimque, vtrimque certant lacrymis.
Longè alius Achas; ille puerorum gregem
Seu de ſedili, ſiue de trunco vocans,
Si quos adeſſe nouerat mentirier,
Pugnare, clepere, verberare audaculos;
Hos territabat, Tartari narrans cibos,
Aſſos colubros atque frixas viperas,
Piciſque liquidæ vel veneni pocula
Pueris parata dyſcolis. Sed mitibus,

Piis,

Piis, modestis Cælitum cupedias,
Aromatitæ massici plenos scyphos,
Et saccharitæ panis ampla fercula
Spondebat: exin sede dilabens suâ,
Horum facilibus adprimebat frontibus
Crucis sigillum, vel docebat adprimi.
Magister Acha (sic vocare te lubet,
Docentis omne munus implesti probè)
Edic puerulis more vestitis tuo,
Edic seuerâ lege, quâ Diuus potes,
Mores cucullo vt concolores induant;
Sin, & coronas & cucullos abdicent.
Olli in resartâ veste vitulantes suâ,
Sacris molestas ritibus turbas cient;
Nunc, vt puerulí, vagiunt inconditè,
Nunc, vt catelli, templa cursando terunt.
Longè aliud Achas; hic in Aram supplices
Vibrabat oculos, aut vibrabat in solum,
(Hoc humilis animi symbolon, & illud pij)
Manusque iunctas surrigens ad sidera,
Preculas litabat hostiam puram Deo.
Olli vt placentas clàm vorandas emptitent,
Vel in angiportu cum coæuis lusitent,
Matrum è crumenis eruunt teruncios,
Aut è canistris liba, castaneas, pyra.
Non illud Achàs, qui vel vmbram tangere
Horrebat auri, vel monetæ crustulam
Primore digito: nedum inibat in penu,
Furtiua dextrâ vt carperet bellaria.
Olli sorores vellicant domi suas,
Famulas lacessunt improbè, tandem graues
Iras Parentum prouocant, virgam hinc sibi

Fortè è camino pendulam probè probant
Et viridiorem & crebriorem, quàm velint:
Non hos cucullus,non corona vindicant.
Aſt aliter Achas,qui domi domeſticis
Parêre mollis,& placere cereus,
Altare totos aut adornabat dies
Icuncularum ſchemate,aut cantu pio:
Neque modò Superos in ſuo laudans choro,
Laudabat ipſo in tympano,tergum flagris
Manu virili pro virili verberans,
Humi & ſeipſe pronus in Crucem dabat,
Humo profunda ſæpè libans oſcula.
Olli parentum iurgiis,diris,probris,
Sibi cerebella lingulaſque farciunt:
Dum fortè ſcortum nominat matrem pater,
Aut ganeonem appellitat mater patrem,
Iſti ſororem ganeonem nuncupant,
Fratremque ſcortum more patrio vocant,
Et antè norunt deierare quàm loqui.
Achas Parentem ſi videret ebrium,
Si deierantem,ſi vomentem turpia,
Tunc ore mœſtus,diffluenſque lacrymis,
» Nónne (inquiebat) audiiſti nupera,
» Mi Pater,ab alto hæc Curionis fulmina:
» Nulla in ſupernis ebrioſo eſt portio,
» Et nulla ſpurcis,nulla peierantibus?
» Sempérne ſceleri lubricos frænos dabis?
» Nec te ſaluber vltimæ lucis metus,
» Nec vrget anguis vlla Conſcientiæ?
Quinquennis etiam tum puer verba hæc Patri,
Matri & ſubinde non inutilis fuit
Admonitor Achas, quando faſtuoſior,
Quàm

Quàm vellet, illa veſte fulgens coccinâ
Templum ſubibat: hic Puer fixum Cruci
» Digito notauit indice: O mater, viden'
» Viden' hunc natantem in ſanguinis riuis ſui,
» Clauiſque foſſum, & horridâ oppreſſum nece
» Pro te tuiſque noxiis? nec deſeres,
» Quibus illigaris, Vanitatis compedes?
Monitis vterque filij lætus Parens
Conſilia ſanctiora captauit lubens.
Conuiua Patris quiſpiam in Pueri ſcyphum
Fortè bibituri clàm trientem miſerat.
Bibebat Achas inſcius. Sed vaſculi
Vidit vt in imo nummulum ſplendeſcere;
Ac ſi nefaſtum ſe induiſſet in ſcelus,
Liuere vultu totus, obrigeſcere,
Et præ truci dolore tantùm-non mori.
Et ni ſacrificus aduocatus blandulo
Scrupum eruiſſet verbulo, innocens Puer
» Animam daturus ibat. Id culpæ dare
» Quod culpa non eſt, ſanctitatis teſſera eſt.
Vix in tenellâ ſeptimas puertiâ
Viderat ariſtas, quando præcox floſculum
Nequedum patentem mors tulit, dandum Deo,
Ne fòrs malitia hunc Inferis tandem daret.
Poſtquam tumululo creditum eſt corpuſculũ,
Si quis ſepulto vellet adprecarier,
Et funerale *De profundis* fundere;
(Iam diua cæli facta municeps, ſacræ
Non erat Animula Næniæ huius indiga)
Precator obmuteſcere, & ſi pergeret,
Incogitanti *Laus in excelſis Deo*
Ab ore fluere: qui ſepulchrum venerat

Vrgere lacrymis, aut parentare precibus,
Domum redire delibutus gaudio.
O Res Hilaria iure cohoneſtans mea!
Hunc ergo verſum do breuem tumulo breui:
Septennis Achas hic iacet Puer haud Puer.
Si quis precandi vel dolendi gratiâ
Viator aſtas: & preces & lacrymas
Alios in vſus verte: ſic Achas iubet,
Abire lætum lætus è Cælo iubet.

Hæreticus fingens ſe poſſeſſum à dæmone, ab alio verè poſſeſſo comburitur.

Cantiprat. de Apib. lib. 2. cap. 57. p. 68.

AD Cameracum in Belgicis, olim graues,
Et Iure, pœnas putris Hæreſis dabat
„ Frequente flammâ; tanto enim nulla eſt malo
„ Medela melior cauſticâ: quiſquis cutem
„ Solam ſcarificat taureis vel vlmeis,
„ Vel tantùm abire in exterum mandat ſolum,
„ Is prurientem nutrit in prurigine.
„ Vulcanus Hydræ medicus eſt proſperrimus.
Hos vnus inter quiſpiam effutiuerat,
Quæ validè olebant faſcis vrendi ſtruem,
Notumque crimen fama diſſipauerat,
Neque lictor aberat longiùs dieculâ.
Subueritus ipſe, ne iuberet ilicò
Durum ad Tribunal ire Quæſitor ſacer,
Et inde durioris ad flammæ rogum,
Non inficetum comminiſcitur dolum,
Vt dorſum ab ignis imminentis eruat

Non

Non expetendo ſtipite: at fruſtrà dolum;
Quâ non timebat in plagâ, lepus fuit.
Eligius ergo Boogris (id nomen viro)
Terrore, veluti panico, primùm domi
Miſcere cuncta, ſpectra ſpectatu horrida
Videre fingens: ipſaque vxor conſcia,
Simulare docilis, euocat viciniam.
Oculos rotare Boogris, & pluſquam licet
Exerere linguam, dentibuſque ſtridere,
Subinde ſpumas arte factas edere,
Et petere morſu velle viſus obuios.
Mœrent amici, quodque deliris ſolet,
Manus numellis vinciunt, cippo pedes.
Nunc ille voce, quâ ſolebat, eloqui,
Et eſſe Boogris; dum eſſe dæmonem lubet,
Tunc è profundioris ollâ gutturis
Exprimere diras, aut futura edicere
Futura numquam: ſi ſues bæoticas,
Vel adeſſe ſolas cerneret mulierculas,
Tunc eſſe Graius, aut Hebræus, verbaque
Glomerare, Superis, Inferis incognita.
Tandem exhibere dæmonem bellè ſatis.
Hinc poſſideri creditus, voto è ſuo,
Quaſque antè voces ſacroſancta in Dogmata
Dederat nefaſtas, hæ putari Dæmonis.
Mox de maligno, ſi liceret, hoſpite
Eliminando cogitari, vt par fuit.
Haud procul in Haſpris (id loci) dudũ tua eſt
Benedicte ſoboles, & *Vedaſtina* domus
Ex *Atrebais* nobilis Colonia.
Hîc Aichadrus colitur, è Gimetico
Delatus olim, mirus ille dæmonum

Abactor,

Abactor,inde turba miserorum frequens
Opem Aichadri sospitantis quæritat.
Trahitur eódem Tartari falsarius,
Diuoque Boogris Aichadro sistitur.
Tunc æde mediâ in hemicyclo querneo
Benè vinctus alter,iam diu à stygio Cane
Insessus aderat,huius abigendi procul
Delatus ergô. Mox vbi sodalem hîc sibi
Suo Boogrin in sedili conspicit,
Repentè totis faucium canalibus
(Quò gallicani vertagi risu solent
Latrare) tantos hic cachinnos edere:
Nunc apprecari pessimè,nunc optimè.
Sed tamen amici tegere consutos dolos,
Dolos sed illi consuere animo suos.
Suo deinde more quâ balare,quâ
›› Rugire,quâ potis,boare, Quamdiu
›› In me Aichadre sæuies,nec desines
›› Cremare miserum? redditus dein sibi,
Aichadre fer opem, flebili tono dare.
Excipere cuncta Boogris intentissimus,
Haud aliter,ac si fortè psittaco seni,
(Qui plura ,·χαῖρε,οὖλε, plura calleat)
Iuuenem nouellum iunxeris,qui litteras
Arare linguâ nouerit vix vnicas.
Sic & magistrum Boogris inspectat suum.
Dumque alter,Vror,vror,ardeo, ardeo,
Inclamat,illinc queis licet clamoribus,
Iam factus Echo, dæmonisque simia
Miser Boogris,nescius quid nox vehat,
Reclamat,Vror,vror,ardeo,ardeo.
Si fortè tumido sancta collo pensilis

Dare-

Daretur icon, aut sacrata lipsana:
Si vel minutâ guttulâ vndæ lustricæ
Digito sacerdos lubricaret vnico,
Vterque tanto mugiebat impete,
Vt tremeret ædes, ara collabasceret.
Ineunte tandem nocte, custodes domum
Ineunt, & ambos sede, quemque quâ sedet,
Dormire iussos (si per hostem fas foret)
Sacro relinquunt in choro. In votis erat
Vnum id Boogri, quem tot oppidò graues
Orisque motus, corporisque vortices,
Et inquieta exhauserant volumina:
Nictabat oculis iam diu ruentibus,
Quos somnus impetebat impotes sui,
Saturas aquosus imber vt claudit rosas.
Alter vbi solos esse se tandem videt,
Ex hemicyclo, quâ potest, suo silens
Eripere sese tentat. En vires Deo
Fundente, vincla sponte colliquescere,
Sedile sensim soluier robusteum.
Et hic solutus ilicet, Boogrin suum
Salute donat hospitem; quidquid dein
Aggerere ligni licuit, illud hospiti,
Seu scamna, seu scabella, circùm congerit,
Fòrs & vetustos rituales codices,
Ipsasque mattas eripit stratas solo.
Quidquid agat ille, Boogris haud faciens pili,
Ridere potiùs, & fugando frigori,
Aut sibi tuendo profutura credere.
Ast vbi ferentem cernit ignem è lampade,
Vbi suffocantem sentit aggestæ strui,
» Tum voce validâ, Ferte custodes opem,

Incla-

Inclamat, Vror, vror, ardeo, ardeo.
Somno hi ſepulti, aut inſolens nihil rati,
Clamore tanto ſi Boogris intonet,
Non huius etiam facere, non flocci ſonos.
Tandem igne ſeptus grandiore nunc erat,
In adipe nabat iam ſuo; O aquas citi,
Opemque miſero ferte cuſtodes citi.
Venere tandem; ſed pyram qui ſtruxerat,
Velut ſatelles obſtat, aduerſo minax
Mucrone (quem repertum in æde fors dedit,
Dedit ipſe potiùs impij vindex Deus)
Vibratque, ſi vel tantulum pedis inferant,
Donec redactus Boogris in cineres eat.
Vt iit, machærâ tum remiſsâ mitior
Foci miniſter & Dei, liber, ſuus,
Suo ſolutus dæmone ad ſuos abit.
O bella tandem Talio! dæmon rogo
Noſtrate verus Pſeudodæmonem cremat,
Suum & viciſſim deſtinatur in rogum.

Iſaacus Abbas fures & peregrinos piè fallit.

Greg. Dial. cap. 14. lib. 3.

DVm Gothus albæ ſortis ebrius mero
Premebat oras Italas graui iugo,
Impunè temerans omnia, ſacra, non ſacra;
Magnus Iſaacus ad Spoletum cum ſuo
Grege mitigabat pro virili Cælites;
Pollebat altâ Præſul hic ſolertiâ
Et præuidendi & præcauendi poſtera.

Præ-

Præſagus appetente quodam veſpere,
Quid ille demum veheret; è veſtigio
Iubet, ligonum quidquid in promptu eſt domi,
Seri per hortum. Fòrs fuere è Fratribus,
Qui ſub cucullo iuſſa riſu exceperint:
Fòrs & fuere tam beatè ſimplices,
Qui credidere de ligonibus ſatis
Meti ligones poſſe, vt è fabis fabæ,
Piſiſque naſci piſa de ſatis ſolent.
Sed queis id animo ſederat, ſuperis ſuis
Parêre cæcos, nil reniti aut obloqui,
Nil ſciſcitari cùm iubetur, ocyùs
Raptos ligones hac & hac ferunt viâ,
Et mox ab horto conuolant. Vix Heſperus
Noctem euocarat, vix ſuo ſe inſtrauerant
Monachi cubili, quando trans ſepeculam
Furunculorum turba in hortum ſe dedit,
Et hiſce læua mens erat, qualis ſolet,
Væ comminata caulibus, væ fructibus.
Quantum ô repentè, vi superni Numinis,
Mutati ab illis caulium harpagonibus?
Nam ſe ad laborem quiſque pro ſe comparant,
Raptant ligones obuios, & impetu
(Qualis operarum eſt poſt merendæ ferias)
Fodiunt, refodiunt, terque refodiunt humum,
Vbi malecultus, & merâ vrticâ ſatus,
Et benè opulentus carduis hortus fuit.
Immanè ſudant, & reſudant, & probè
Tellus rigatur; imbrium vicem ſubit
De fronte ſudor, de lacertis depluens.
Stomachos adeſos interim fames, grauis
Comes laboris, vellicat: ventres latrant,

Suiſque

Suiſque bombos in penatibus rotant.
Sed nocte mediâ, quando de ſtrato ad ſtatas
Monachos ciebat hora tinniens preces,
Iſaacus atram ſenſit Operarum famem.
  Ergo ad culinam mandat aridiſſima
Mox ligna ferri, grandi aëno ſubſtrui,
Exin benè bonas imperat pultes coqui.
Quorſum iſta, tam non ſolita, mirari coquus,
Sed & ipſe, morem præter, idque temporis,
Tanto excitatus manè, mirari focus.
Pultes coquuntur, dum pij cantus chorum,
Fureſque defatigat irrequies ligo.
  Aurora tandem lectulo prodit ſuo,
Satura quietis & miſerta Pauperum,
Queis vix ſupererat halitûs ſemuncia.
  His ergo pultés feruidas, Fratrum manu
» Curat ferendas Iſaac: Satis eſt, ait,
» Satis ô laborum. Iam quiete fruimini,
» Ciboque ſocij. Nec fuëre Furibus
Iteranda iuſſa: dentium ligonibus
Animoſiores alteram verſant humum,
Et pænè linguas in ſuâ cremant casâ.
  Tum benè refectis, recreatis funditus,
Valere iuſſis, & deinceps crimina
Cauere iuſſis, olera donantur bona,
Domum vt reportent, & reportant impigri.
  Vix emigrarant, en Peregrini duo
Pro foribus aſtant, ſchema lamentabile,
Nulla auris illis, nulla frons, vix naſus eſt,
(Namque implicata delibutis crinibus
Pædore, ſordibuſque cæſaries grauis
Sincipitis omnem contegebat aream)

Neque

Neque vlla miseros vestis ambit: vnica
Et lacera ventres tela dimidios habet,
Quantum pudori protegendo sit satis.
Et clamitabant voce,quâ pauper solet
Molestus aures & feras pessumdare:
» Date Peregrinis, quos latrones impij
» Nudatiores reddidêre pumice.
» Huc nos inopia ad vsque & vltra manticam,
» Ad vsque restim recta duxit vltimam.
» Date ô lacernæ vel resartæ millies,
» Interpolatæ millies, vel mucidum
» Vnum alterúmve frustulum,quo frigora,
» Quóve arceantur imbrium stillicidia.
Hæc inter,ore palpitante,dentibus
Crotali leprosi more perstrepentibus,
Seu voce raucâ, seu quiritatu graui
Probè æmulari semienectos gelu.
Agnouit Isaac hoccè nudorum genus,
Nescire simulans quo sient vestes loco,
Intrare mandat, & pararier focum.
Sed mox in aurem quidpiam socio dedit:
(Lautam ominantur hospites cœnam sibi)
Et iste simulat,perque posticas fores
Subit propinquam siluulam (hîc quercus fuit,
Annosa quercus,nata nonum sæculum,
Euiscerata centies medullitus)
Quod delitebat intus,id domum refert.
Dumque insolenter interim ridet focus,
Vt pænè fieret assa Nudorum cutis:
» Miseror,Amici,& lugeo vestram vicem,
» (Inquit Isaacus) & stat opitularier:
» Quantumque quantum est vestiarium,volo

» Spo-

» Spoliare vestrâ gratiâ. Et tibi,& tibi
» Braccæque, calceique commodissimi,
» Et dabitur aptum pallium,& tibi,& tibi:
» Non aptiora sartor & sutor darent.
(Nudi incalescunt gaudio, magè quàm foco,
» Prædam vorantes spe suam;) nullâ huc morâ
» (Pergit Isaacus) & decoræ & commodæ
» Vestes feruntor. Qui subiuerat recèns
Siluam propinquam, præstò vestes exhibet;
Repentè (vellet nollet Impudentia)
Esse impudentes desiere, dum suas
(Quas sempiternæ quercui commiserant)
Vterque braccas, palliumque, calceosque,
Vterque semicinctium agnoscunt suum.
Terga, ora, pectus, tibias, ipsos pedes
Pudore suffunduntur inopinabili.
Sic veste quàm pudore vestiti minùs,
Abiere, quò cupido, non pietas tulit,
Ni fòrs paterno quæ solo multos ciet
Peregrina pietas, vix pilo medio pia.
Talis Spoletum, ab vrbe Christo conditâ,
Peregrinus omni, quem vehit Deus, die
Romipeta transit hinc & inde, nobilis
Cinctusque viridi cærulóve suppparo,
Vel scipione & penulâ coriaceâ.
Quàm meliùs instar cochleæ starent domi
Gens apta nata cursitationibus!
Non sic hirudo fieret hospitalium.
» Sed triste telum quid nequit Necessitas?
Dum dena proles, dura Xantippe est domi,
Aeris alieni plurimum, proprij nihil;
Dum masculina & feminina synthesis

Tota-

Totaque ſupellex fœneratori ſubeſt,
Dum mala popina grande ſcripſit ſymbolum,
Tetro in camino, lex vbi ſubſcribitur,
Quicumque Romam non ierit, is ſoluito.
Lex illa totas Italûm terit vias,
Premit hoſpitales vndiquaque culcitas,
Eademq́ue tumulos exteris Romæ parat.
Minæ, Magiſter, & metus cuticulæ
Dant & pigellos in viam ſcholaſticos,
Vix ſæpe medij diuites teruncij,
Solo beatos pallio, ſed pallio
Breui vorato, delicatas obuiis
Porrigere diſcunt ilicò ad ſtipem manus,
Et mox ſub vmbrâ vomeris vel cardui
Captare ſomnos in domo Lunæ hoſpitæ.
Iubet hinc Egeſtas & fame venter tonans
Crumenicîdas eſſe, mercedis loco
Aures reſectas deſtinare nobili
Emblema furcæ, terga virgidemiæ.
Proficitur, alto ſcanditur ſcelus gradu,
Ipſumq́ue tandem fit ſcelus ſceleri gradus;
Iuuat ſacrilegos eſſe vel ſicarios,
Si non vtrumque, non vtroque triſtiùs.
Demum prehenſi, penſiles coruis botri,
Crucíque grandes dedicantur litteræ,
Vt hinc ab alto Patriam inſpectent ſuam,
Opemq́ue fruſtrà matris implorent ſuæ.
Iſthæc Iuuentæ damna Curioſitas
Malecauta cudit, & recudit pruriens
Pedum libido, dum tribulium gregem
Cernit abeuntem, aut quando filiis pater
Gyrouagus olim, narrat & narrat ſuis,

Vidi

Vidi illa, vidi & illa, Romæ dum fui.
Nil insolens, si tum patrissent filij,
Itare cupidi Patris in vestigia,
Patrisque nomen lectitare in Alpibus,
Vel in hospitalis parietis tectorio:
Ibi pronepotum Patris innumerabiles
Pascere nepotes semiasso sanguine,
Vel in tabernis fæculentioribus
Culicem rotundum fœtidumque perpeti.
» Honesta Pubes, si parentum purior
» Sanguis tuorum, si pudoris vncia,
» Si tibi pugillus mentis est, fuge has fugas,
» Et grande fletus æquor ac suspirij,
» Serumque pœnitere tanti non eme.

Coruus ob furtum occultum anathemate percussus contabescit; solutus deinde reuiuiscit.

Ex lib. de Viris illust. Ord. Cistert.

SCAZON.

NVtribat olim Corbiæ Archimandrites
Conradus, auium callidissimam, Coruum,
Fartam malitiâ, fraudibusque suffultam.
Quoties Ephebos Præsulis, minùs cautos,
Retrò ille surâ sauciauit admorsâ?
Quoties catellis prandium suum clepsit,
Vt & inopinis felibus suam caudam?
Et hac rebelles striduloque vagitu
Opem rogantes pertinaciùs traxit?

Quoties

Quoties oculeos gemmeoſque pauones
Compulit in iras,& tenerrimos planctus,
Quando rotatum ſyrma,vel reclinatum,
Et ſplendidi tapetis inſtar expanſum,
Roſtro maleuolus vellicauit infeſto?
Si grandiores fors ſuam canes olli
Raperent merendam,nec valeret aduerſum,
Rectà ipſe mandras & lares moloſſorum
Vindex adire & diſſipare ſtramenta.
Quid furta memorẽ,queis domi & foris nequã
Quotidianas illigatus in prædas,
Vnde vnde licuit,ſeu metalla, ſeu carnes,
Seu veſca,ſeu non veſca, cuncta raptabat;
Furtumque ſcrobibus ingerens latebroſis,
Herbiſque,meliùs vt lateret,oppilans,
Lauernionis omne munus explebat?
Manus lauandas Annulo dearmarat
Pranſurus Abbas; hunc bolum trifur coruus,
Simulatus aliud,intuetur,& raptat,
Suique defert in triclinium nidi,
Operitque paleis. Præſul inde ſepoſtum
Abeſſe cernens Annulum, dies totos
Noctesque furem ſuſpicatus incaſſum,
Iubet in rapacem,quiſquis ille ſit,tandem
Anathema dirum à Curione librari.
Coruus remotâ conſidebat in fago,
Crocitatione ludicrâ diem fallens,
Culicéſve prenſans,aut facetus aſpergens
Hinc felle picas,hinc ſalute cornices:
Iam voce pauus,iam canis,ſed & felem
Tam lepidè adumbrans,felem vt eſſe iuraſſes.
Quæ canis & illi fantur ore materno,

D Hæc,

Hæc,ſe magiſtro,didicerat ſequax ales.
    Vix ſacroſanctæ fulminauerant diræ,
En ruere ab alto mutus,& repentinâ
Languoris aurâ ſideratus horrere:
Hinc ægram anhelo trahere ſpiritu vitam,
Iunctâ ciborum nauſeæ diarrhœâ,
Diraque verminatione torqueri,
Oculoſque fieri lippus,& pedem claudus:
Senſimque veſtis plumea in ſolum ſpargi,
Et fluere ab alis ſpontè remiges plumæ.
    Atque vt pari par redderent,inurbanè
Ridere picæ,condolere cornices,
Mordere culicum turma tergus implume,
Suâ hinc Ephebi talione lætari,
Et huc & illuc lancinare palantem:
Circùm inde ludos facere grex catellorum:
Optare coruus,ſi liceret, in cæcas
Abdi latebras,& cauernulam muris.
    Ecquid deeſſet aliti ſuo vernæ,
Stupere Præſul,Præſuliſque conuiuæ.
Hos inter aliquis (vt ſolet) ioci causâ,
„ Quid ſi,inquiebat,nuper Annulum furto
„ Rapuiſſet ater nebulo,condidiſſetque?
„ Et has facinoris impij daret pœnas?
    Suſpicio placuit: mox & itur in nidum,
Interque paleas ſordidatus elucet
Tandem repertus Annulus. Iubet Præſul,
Sic fortè volucri profuturus,actutum
Eccleſiæ Iras nuperas relaxari.
Parochus relaxat,& repentè ſanato
Redire Coruo vita,vox,vigor,vires,
Reduxque pellem circumire lanugo,

Pluma

Plumæque tandem principes reflorere.
» Ita fit: leonem vt terream, canem cædo.
Vt terrearis, vt minas ſacerdotum
Ipſis verendas belluis, reformides,
Ignara Superos prouocare peccando,
Rationis exors anima plectitur Coruus.

Dæmunculi ſuper oblongâ vanæ mulieris caudâ luſitant, dum illa ſerò templum ingreditur.

Ex Cæſar. lib.5.cap.7.

SI meminit Auctor, contigit Moguntiæ
(Et alibi potuit) vt ſacrâ Domino die,
Pro more ſemper expetitâ aſpergine
Luſtraret Vndæ miſſilis Plebem piam
Moderator Aedis Curio, quando ſacrum
Pro more limen ſera nobilis ſubit
Herois. Artus illa delicatulos
Et ſera plumis elocauerat ſuis,
Et horæ & horæ fluxerant compluſculæ,
Vt ſe poliret comeretque, perditæ:
Nam fucus horam clepſerat: minimùm duas
Impoſta capiti turris, innumerabili
Redimita nodo: & quod fuit reliqui ſuper,
Id reliquus ingens mundus hauſit temporis.
Speculumque viſens & reuiſens, millies
Anxia rogarat, an ſuus ſuo decor
Benè ſtaret ori: ſi ſupercili pilus
Vel vnus erret; dum reponit, annus eſt.
Mirumne tandem ſera ſi in templum venit,

Pòſt iam peractâ prorſus Euchariſticâ,
Dum ſole pleno medius ardeſcit dies?
Primo ergo greſſu viſa dicere, Adſumus,
Intrat, cothurnis ſtridulùm crepantibus,
Holoſericæque veſtis alliſu ſonans,
Collumque rectâ ſurrigens more anſeris,
Rituque paui molle circumagens caput,
Vt ſe videri videat: vt culices fuget
Geſtat flabellum dexterâ muſcarium;
Læuaque eburnam pyxidunculam, domum
Benè olentis animæ, recreandis naribus,
Cauda ipſa longa & penitus vlnarum decem
Templi polita marmoris verrit quadra.
Stupente populo, derepentè Curio
„ Exclamat, Eheu quid Domina malùm geris!
„ Tantam phalanga glirium hoc in ſyrmate?
Reſpectat illa, & nil niſi hîc caudam tuens,
Stomachatur; & ſe riſui datam fremit.
Teſtatur aſtra Parochus, & ſuperos rogat,
Vt & ipſa cernere, cernere & populus queat,
Quid hæc, decoro longior, veſtis gerat;
Oculiſque cuncti mox patentibus, vident
Aterrimorum glirium fœdum gregem
Super-equitantûm glorioſo ſyrmati.
Quantum tulerunt ilia, in riſus abit
Soluta Plebes: pauper Herois ſilet,
Gemenſque factam ſe quadrigam glirium
(Sed inferorum glirium, ſed dæmonum)
Excutere caudâ nititur onus improbum.
Riſêre glires ore, quo furnus ſolet
Patêre, nec ſe ſede tantillum ſuâ
Mouêre, in æquo rure byſſi floridæ

Ineptiis ineptientes omnibus,
Nunc agminatim per holosericos sinus
Pede lubricante tota deuehitur cohors:
Quales, vbi vnda coiit in sæuo gelu,
Læue glaciei marmor Hollandi solent
Soleâ subinde ligneâ decurrere,
Sed & subinde ruere & in tergum solent,
Exin nigelli pumilones Tartari
Sese volutant impigris rotatibus,
Ceu, quando fœni aceruus horreo datur,
Tota puerorum conuolat vicinia,
Et hic seipse mergit, & alius alium
Cumulare fœno tentat. alter eruit,
Et hunc vicissim qui obruebat, obruit.
Subit iste cumuli culmen, & subito impetu
Capite deorsum labili totus ruit.
Ita & petulci & inquietes Ludij,
Populo vt placeret, quam dedere fabulam.
Tandemque nutu commonefaciens suos,
» Spectastis, inquit Curio, satis & super
» Quid iniqua cauda deuehat: spectabitis
» Quid dextra valeat nostra, quid potiùs sacra
» Nunc valeat vnda. Dixit, & setaceum
Euibrat aspergillum, & in glires aquam
Piacularem iactat imbre plurimo.
Vix ille dextram mouerat, Dæmunculi
Celeriùs agili fele, dum calidam iacis,
Ab inauspicatâ fimbriâ euolauerant.
Caudata stygio liberata pondere
Domum regreditur, luxui facit vale,
Caudam recidit, Gentis Infernæ traham.
Si cauda turmam dæmonum tantam tulit,

In capite quantam ſeſſitare creditis
Politularum Virginum (ſi virginum)
Vbi tot Auerni noctuæ nidos habent,
Tot in ſuperbi verticis ludunt iubâ?
Vbi quot capilli,tot colubrorum glomi.
Ipſo in Theatro frontis,Impudentia
Egena frontis,hiſtrioniam facit
Cum mille ſtygij Regis abnepotibus.
In colle naſi,& in cauernâ narium
Superque cilij crine vel tenerrimo
Denæ cohortes excubantium ſedent,
Omnes tricipitis Patrueles Cerberi.
Quid lingua,Princeps criminum Vniuerſitas?
Vbi tot coaxant impij ranunculi,
Quot ab orbe genito garrulæ eiuſdemmodi
Vixere volucres in Gebennico lacu,
(Mendum Typographi eſt)in Gehennico lacu,
Namque à gehennâ quid Gebenna diſſidet?
Quid vos Ocelli,vos popina ſordium,
Vbi potitantûm dæmonum ingens copia eſt?
Quid labra memorem,quid glabri mēti aream,
Quid adulteratas improbo fuco genas,
Quæ tot crucifugas,tot animiuoras belluas
Quot medio in æſtu prata formicas, alunt?
I,nunc decôris nundinatrix non tui;
I,nunc Puella,ſi vales, ad calculos,
Aut per digitulos vniuerſam Dæmonum
Tuo inſidentûm vultui ſummam reduc.
Sed caue,ne alumnus hic tuæ Populus comæ
Te per capillos atque dentatam ſtruem
Trahat in Tribunal horridum, quando omnium
Reddenda veniet ſumma ſummarum Deo,

Ortâ

Ortâ diei luce Decretorij.
Dent ſuperi,vt errem: fac Puella vt mentiar.

Ruſtici Diuionenſes mirè anxij de diebus decem ſublatis Kalendario renouato.

Ex libro P.Richeomi de Miraculis.

SCAZON.

SVbclaudicante tibiâ redi Scazon,
Intercalare carmen eſto cognato.
Clauſtra renouati (quod vocant)Calendarî
Reſerarat ingens Vrbis Orbis Antiſtes
Gregorius; anni vix iêre triceni.
Quot fellis vtres,quanta plauſtra dirarum
Vomuere ſemper ſtreperus Hæreſum vulgus?
Quot Hunniique, Grunniique Burdones
Scenis pudendis,& tragœdiis diris,
In illa Papæ placita (Lector oblongo
Ignoſce verbo) paratragœdiauerunt?
Sed facio miſſas grunnientium voces,
Inconditoſque barrientium motus:
Mea hæc Hilaria concoloribus gaudent,
Rident amœnis,triſtibus reluctantur.
Quod ergo ſit ſalubre, Diuionæas
Meridiatum in vineas eant læta,
Ibique ruſticentur inter arbuſta,&
Vindemitorum varia Poſteris narrent
Interrogata poſt Diploma vulgatum:
Immane quantum perditi dies deni

Bella cerebella rusticana commorint!
Tres vinitores, capita prorsus Augusta,
Et ter profundi (si diis placet) sensus,
Dum manè cepis allioque ientatur,
Breuem dederunt eclogam, ingenî testem,
Testem alliatæ mentis & saporatæ,
Patienter audi Lector, & tene risum.

I. *Vindemiator.*

Mira, ô Sodales, & mihi & meis visa est
Fuga hæc dierum, noctiumque furtiua,
Vt præ stupore, præ labore scrutandi,
Mihi meisque, non meisque, turmatim
Ierint anhelo stiriæ graues naso.

II.

At mihi periodos temporum volutanti,
Vi curiosæ indaginis laboranti,
Maduit galerus summus, imus, extremus
Sudore tanto, nec minore quàm vitrei
Fornace stillatoriâ madent gutti.

III.

Ego computista ruris optimus nostri,
Digitis epactas soleo, more nostrate,
Cursu retrogrado, antegradoque censere,
Nunc miseræ epactæ in alia vincla compactæ,
Mihi indicesque pollicesque perturbant.

I.

Non capio, capiant qui volent. Enimuerò
Tot iam diebus fraudulenter elapsis,
Quid interim facere siderum vulgus,
Cynthi nepotes, atque Cynthiæ neptes?

II.

Quid Luna, num cucurrit impetu tanto,

Denos

Denos vt vno ſalierit dies ſaltu,
Papâ volente,vimque ſubminiſtrante?

III.

Phœbúſne plures Perſicas Parazangas
Aut Itala ſtadia id temporis pererrarit,
Papâ iubente,limiteſque ſignante?

I.

Feſta,eſto,liceat promouere per ſaltum;
Potuítne iure,& conſcientiâ tutâ
Lacerare,deartuare Pontifex menſem?

II.

Quid commeruerat hic December,vt ventrem
Totóſque lumbos fractus iuerit peſſum?
Cur non Aprilem promptius dearmarunt?

III.

Tum decuit hoſce exemptiles dies factos,
Cum piſculentè victitamus & parcè;
Iactura nobis nam fuiſſet hæc lucro.

I.

Sed,nox diei præiit,an dies nocti?
An ambo pariter id viæ ſubiuere?

II.

Et quando tandem transfugæ dies facti?
In conticinio vel crepuſculo noctis?
An in diei ſincipite,vel in talo?

III.

Cur hieme captum id conſilî,ſoporatæ
Cùm ſyrma longiuſculùm trahunt noctes?
An vt ſilentiore vaderent paſſu?
Néve fugientes,harpagone detentæ,
Hærere forſan vſpiam iuberentur?

I.

Decémne ſolidas atque perpetes noctes,
Luceſque totidem abſtemij, cibi exortes,
Et adipe, gliris more, viximus noſtro?

II.

Sed more gliris, & ſimillimus letho,
Adeò ſepultas corneus ſopor mentes
Inſedit adeò, vt liquidiuſculi venti
Nec murmur illum lene ſenſerint aures?

III.

Quoties ſtupendi tranſitus ſubit mentem,
Vertigo toties hanc rapit per abrupta.

I.

Mihi falce nuper crura (dum puto vitem,
Et puto dierum vulnus amputatorum)
Abſorptus, atque mente raptus, abſcìdi.

II.

Satius ſodales tutiuſque ſit nobis
Silere, ne putando diſputandoque
Et computando de diebus expunctis,
Nobis cerêbrum fortè fiat expunctum.
Hæc vinitores pampinarij digna
Dedere cedro, digna poſteris annis
Rogata. Lector parce ruſticanorum
Huic delicato caudici cerebrorum:
Tam bardus eſſes, tamque iunceæ mentis
Bœotus eſſes, ſi volentibus diuis,
Bœota mater te dediſſet in lucem.

Damon

Dæmon caligas soluit Hero, famulum diaboli nomine vocitanti.

Ex Greg. Mag. Dialog. lib. 3. cap. 20.

PVdenda res est; plurimis mortalium
Furuum Diaboli nomen est in amoribus,
Est in cupedis delibutioribus.
Geta, Dromo, Dauus, turba famulorum audiunt:
Plus viciesque centiesque milliesque,
Huc vos Diaboli: Bella nuncupatio
Expectoratur horâ & ansâ qualibet.
Si somni abundè est, si libido surgere,
Et strata membris exinanire calidis,
Clamatur illo vocis infernæ sono,
Diabole vestes: membra si stringat gelu,
Focum, Diabole: si ferat animus, cibum
Cœnâ aut merendâ, prandióve sumere;
Diabole, mensam: si minister mussitet,
Ain' Diabole? verba si reciprocet,
Diabole pergin'? si moram fors in penu,
Aut è culinâ deuocatus protrahat,
Toto hæc mephitis exscreatur pectore,
Complete ventrem perditi huius Diaboli,
Mille ô Diaboli, omnesque catapultarij.
Ita condiuntur & domi & foris omnia
Hoc esculenta, poculenta pharmaco.
Neque nudius seu tertius seu septimus,
Seu septimoque tertioque recentiùs,
„ Mos hic inoleuit; iam diu & diu fuit.
„ Magister insequentis anterior dies.

D 6 Fuit

Fuit (fuiſſe crede, Magnus aſſerit)
Fuit herus olim, cetera is non improbus,
Sed tinctus illo more, Dauos vt ſuos
Totis diabolos concreparet faucibus.
Stephanus (& iſtuc nominis viro fuit)
Peregrè regreſſus, de viaque laſſulus,
Torum & quietem cogitans, ſeruum ciet,
» Feſtinus, inquit, deripe actutùm meas
» Diabole caligas. Ore vix eruperat,
Diabole caligas, ipſe ne incaſſum foret
Dæmon vocatus, deſtinauit obſequi,
Et eſſe Dauus. Igitur aſtrictoriæ
Mora nulla ligulæ ſponte diſſolui ſuâ, &
Labare caligæ pænè ad ima calcium.
Sibi famulantis vim latentem dæmonis
(Quem non vocarat, & vocarat) protinus
Sentire Stephanus, & tremore concuti
Tam derepentè ſeminudus, ilicò
„ Reclamat, Iſtinc apage te Orci furcifer,
„ Procul faceſſe, haud te volo, Dauum volo;
Abire famulus ille ſuppoſititius.
Caligis deinceps ſubuerens herus ſuis,
Doctus idioma melius, & morem probum,
Dauum ille Dauum nuncupauit, & Getam
Getam, nec vltra Diabolus nomen fuit.
Si ô ſic labaret bracca pluribus ſua,
Quoties Diabolum in verba compingunt ſua,
Non id farinæ numerus innumerus foret.

Campa-

Campanus Prædicans Iudicium breui fore prædicit suis rusticis, vt interim genio indulgeant.

Ex Lindano lib. 1. cap. 9. de Fugiend. idolis.

CAmpanus, illud Cliuiæ terræ iubar
(Iubar esse tenebræ si queant, aut hæresis
Audire possit veritas, aut nox dies)
Caluiniano de Ministro nobilis
Prodire vates voluit, alter Elias,
Aut alter Enoch. Ergo dum propter Ruram
Ad concionem rusticanam è pulpito
Verba daret (& quid fœdus impostor nisi
Verba daret?) ecquâ fine non tandem liquet,
Nisi fòrs labores propter improbissimos
Siti caninâ pressus & lupi fame,
Vertiginoso spiritu prognosticus,
Velut entheatus voce de celso tonat:
» Vos, ô miselli rusticelli, vos meis
» Pecus alta mammis, quid morarum nectitis?
» Extrema properant, vixque ter deni dies
» Orbi supersunt, mensis vnus vnicus.
» Audite (fòrs tonabat) en tuba cuditur,
» Tuba vniuersa territura climata.
Hac voce vulgus colliquefactus metu
Lacrymare, gemere, vlulare misericordiam,
Iterare misericordiam amplis vocibus.
Sed his prophetes ore molliusculo:
» Bona verba, mi popelle, dispunge hos metus,
» Lacrymas resorbe, gaudiorum grandium

» Conferta ſeges eſt. Iam breui & breui (ſuas
» Namque aptat alas remiges) Archangelus
» Vos calceatos atque braccatos fide
» Caluinianâ, ſplendidis in curribus
» Rapturus aderit in decemplicis poli
» Menſas opiparas. Hæ fidem veſtram manent.
Animus redire ruſticis, & credere:
Fatidicus vltrà proſequi; hîc latet lepus.
» Quid igitur, inquit, agriculturæ labos
» Faſtidioſus & catenatus labos
» Vos angit vltrà? quídve non tandem piget
» Occare, fodere, ſtercorare? paſtino,
» Stiuâ, cylindro, falcibus totos dare
» Sudoris amnes è toroſo pectore?
» Boni ô Agricolæ, ſole combuſtum genus,
» (Queis poſt laborem coctili pomo ſatur
» Aut ventre putris allij, venter gemit)
» Quid ſeritis, atrox flamma quod metet breui?
» Cur non culullos & diotas alterâ
» Arripitis anſâ, dulce facturi vale
» Veſtris aratris, & ligonibus vale?
(Hiabat ore vulgus inſtar bubali
Sorbentis auram, ſæuiente Sirio;
Adeò ſaliuas ruſticas hæc prouocant)
Et prouocare pergit Augur improbus:
» Vos ô recurui, vos arundinei ſenes,
» Queis vix ſelibra ſanguinis reſtat boni,
» Farcite vacuas optimo venas mero,
» Vt vnctiores ſtetis in iter vltimum,
» Quod in propinquo eſt: hoc idem vobis Anus
» Fuliginoſæ prædico, ob veſtram Fidem
» Superis beandæ colibus. Interim viris

Ac-

» Accumbitote, quæque cum ſuo pare,
» Aut ſi lubebit, quæque cum ſuo impare;
» Et vos puellæ, ruſtici ſoli roſæ,
» Abiicite fuſos, & colum in flumen date,
» Date quala rhombis, & caniſtra gobiis.
» Nunc eſt bibendum, libero nunc eſt pede
» Ferienda tellus, hoc vt abs tripudio
» Cæleſte commigremus in tripudium.
» Extrema properat hora. Qui mecum ſapit,
» Mecum in popinas properet, hîc fauſtam diem
» Felicitanda turba præſtolabimur.
» Pinguéſne pernas è camino pendulas,
» Iam iamq́ue veſcas, igne torreri vltimo
» Patiemur? & quæ vaſa concluſit penus
» Cereuiſiai plenus antiquiſſimai,
» Et vina Rhenus quæ bicorniger dedit,
» Patiemur illibata concremarier?
» Habeat ſuperſtes flamma quod voret, nihil
» Præter myricas aut inanes carduos.
» Hirſuta campe, vel domi limax ſuæ
» Deprenſus, iſtæc ſentiant incendia.
» Cauete ſultis hanc ſacerrimam Fidem
» (Caluinus orbi quam ruenti detulit)
» Vel acu vel vngue, vel capillo lædere:
» Properemus, hora moritur, Orbis occubat.
Quod imperaret, non fuit: Citiſſimè
Blandiſſimeque iuſſit exemplo: datâ
Ilicò ſalute pulpito, templo datâ,
Prælucet ouibus & præit Paſtor ſuis.
Mora nulla, cuncti per tabernas diuidi
Et has & illas; dimicare poculis
Et his & illis; de capacioribus

Crater

Crater in orbem centies it & redit,
Et hinc & illinc pro ſalute Cæſaris,
Et pro Miniſtri,pro Miniſtræ, pro ſuæ,
Vt cuique libuit,fauſtitate Candidæ,
Exhauriendus vſque ad imas ſtillulas,
Dimetiendas in ſupremo pollice.
Sed priùs ad offas itur,offas inclytas
Adipe ſuillo vel butyro nobili.
Campanus ollis primus incubat bonis,
Et primus offis: alterâ petaſo manu,
Ingens culullus alterâ ſuſtollitur,
Vexilla bella poculenti prælij.
Exhauriuntur fæce cum ſuâ cadi,
Promæque cortes cum volucribus ſuis.
Viduantur ouibus,bubus,& ſuibus haræ,
Clamore tellus tota mugit ebrio,
Tota & choreis contremiſcit ruſticis.
Quotidianum viſitur ſpectaculum,
Potos anus potæ ſenes trahunt domum.
Inſanientes flebilem hanc inſaniam
Ridebat omnis cominùs vicinia.
Vltra vmbilicum venerat menſis ſuum;
Nondum vlla cælo ſigna, nulla-dum ſolo
Morientis orbis viderant cubilia.
Tandem comeſis & pereſis omnibus
Domi foriſque edulibus,vt & omnium
Crumena cœpit emori malâ fame,
Euiſcerata his viſcerationibus,
Et tota mappis prorſus attonſis inops:
Haud ponit ideò ſe furor, ſed impete
Vrbem in propinquam curritur;& hæc lecythum,
Hic vendit vtres,hæc patellas. Omnis it
Væaenum

Vænum ſupellex ſtannea,ænea,ferrea.
Non ventilabro, non ſalillo parcitur,
Vix ſulphuratis,nummus vt corradier
Vnde vnde poſſit : hinc reditur ad dapes,
Et abſque numero rurſus ad numerum bibunt,
Ligurientes vniuerſa Pamphagi,
Rodenda ſeruant oſſa ſola horâ vltimâ,
Ipſaſque lances non pudebat lingere.
Suprema tandem menſis exoritur dies;
Miſſilia nondum tela dormientibus
Aurora terris iecerat. Vulgus vigil
Prodire paſſim ſub Iouem: totum hîc diem
Mediamque noctem,rem nouam & nouiſſimam
Et nare,& aure,& ore præſtolarier.
Flagrabat æſtus,en repentè leuiculum
Auram pererrans fulgurillum ruſticos
Præſtinguit oculos. Clamor ingens tollitur,
Irruere tandem tempus optatiſſimum:
Reliqui è popinis aduolant mox ebrij,
Pars apparare pallium,pars ocreas.
At inane votum Tityrorum hiantium
Aether fefellit hoc leui ludibrio.
Exinde variis muſſitatiunculis
Vatem requirunt,& reclamitant ſuum.
Sed pridianâ veſperâ Calchas nouus
Benè fartus intus,extus, inſciis omnibus
Campanus,illud Cliuiæ nigrum iubar,
Feſtinus ierat alteram in Campaniam,
Nouam daturus fabulam,fraudem nouam.
Oues miſellæ ruſticellæ,putidis
Pecus alta mammis,iam redacti ad incitas,
Et pelle tecti vix ſua,per Cliuiam

Facti

Facti ostiatim turpe mendicabulum,
Et lepida vulgi fabula, in vatem suum
Tantæque fraudis architectonem vomunt,
Quæcumque bilis pestilentior solet.
Hi nempe fœtus stigmatis, inusti tuo,
Caluine, dorso, fraus, doli, mendacium,
Cauteriatæ conscientiæ nota.

Dæmon Araneus.

SCAZON.

ARaneorum ter simillimus dæmon,
Totus venenum est, totus est doli & technæ
Vtrimque fartus, quid nequiret aut nollet?
Hinc mille casses, mille cassium tricas
Aptat, redaptat, instruitque captandæ
Ac deuorandæ, si qua præda sit præstò.
Vigilque peruigilque de latebrosis
Velut angiportis, nare & aure præsagâ,
Oculo irretorto contuetur incautos.
Quid agas, homulle pauper, impos armorum,
Ope destitutus consilî, obuius fraudi,
Tot inter artes, & plagas, & anfractus,
Tot intus, extra, susque deque deprensus,
Interque sacrum constitutus & saxum?
Age experire, quod solet soror musca
Caudata, tergo versicolor: huic robur
Animique tanti, vt (dante matre Naturâ)
Licenter ausit ludibunda & indemnis,
Inambulare carbasos Arachnæas,
Hostem duello prouocans. Ab obscuro

Videt

Videt hancArachne,ſpeque iam vorans prædam
Exacuit vngues,dentiente gingiuâ.
Sed miſera neſcit,quid ſibi vehat,telæ
Iam domina muſca,quæ gradu ſubit certo
Antra penetrare penita: tum tremens pallet,
Et ſe coarctans abditiſſimè condit
Parens veneni. Muſca pergit introrſum
Et morſicare & vellicando funeſtas
Deartuare tibias: foras raptam
Tum dare vorandam ouum malis malum coruis.
Audis,homulle,quid velim,quid & nolim?
Volo: reſiſte dæmoni, & fugam carpens
Exſuccus,expes,ibit,exos,exanguis,
Malè laqueata retia & ſtruem fraudum
Tam facilè rumpes,quàm negotio nullo
Tricas Arachnes,atque pendulum ſtamen.
Nolo,vt timoris vrgeare tantillo:
Clarum videbis,dexteraque tractabis,
Quàm ſiet inops,eneruis,impos,imbellis
Araneorum quàm ſimillimus dæmon.

Sanctus Maclouius Brito ſuper balænâ in mari Miſſam celebrat, credens eſſe inſulam.

Ex Vita cap.7.

RECèns ſepultis fortè Bacchanalibus
Die dierum peſſimo,ſanctus Brito
Portu è Britanno ſoluerat Maclouius
Sacram Lyrinum verſus: huc ipſi viæ
Ducenta comites capita tantum-non erant.

Diu-

Diuque velis æquor indignantibus
In varia nauim duxerat,reduxerat;
Tempusque abibat omne,quo venter gemit,
Quo triste dentes otiantur otium,
Quando exul ouum est,exul è patinis caro;
Vbi solus vndæ filius,totum regit
Macrinus orbem,totus & parosidas.
„ Sed ritè pœnitere numquam pœnitet.
Sancti ergo Cineres,bisque viceni dies
Mediis in vndis fluxerant. Iam Dominica
Fulgebat Orbi,radius Orbis,Anastasis,
Cùm penè in Altum venerant altissimum.
Nihil soli,cælum vndique,æquor vndique;
Nil insularum hîc vspiam,nil littorum,
Vbi ter tremendis liceat operari sacris,
Illo dierum candidissimo Die.
Dolebat vnum id vnicè Maclouio.
„ Quid vota nequeunt missa,quo par est,precum
„ Ardore? tacitus orat,exorat citus.
En tibi reluctans fluctibus,spumas ciens
Toto videndam colle tergi se dedit
Balæna grandis. (nauitæ has Orcas vocant,
Pari quaterna vastitate iugera
Aequare visas,aut subinde excedere)
Subdiderat vtero branchias,caudam, caput.
Excubitor alto tuitus è carchesio,
Cum voce dextram tollit,Insulam, Insulam,
Illoque flectunt vela: iacitur anchora
Hæsura costis belluæ: prorsum silet
Iam facta scopulus illa: naui exscenditur,
Exstruitur ara parabilis: Mystes facit:
Sumunt sodales cernuo vultu pij,

Quæ

Quæ tota Cælo lapſa ſpectant Agmina, &c,
Si cadere in ipſa liuor auſit, inuident.
Sacris remotis ad profanas pergitur
Deinde menſas, interim & ſimul ſuum
Balæna dormiendo captat prandium.
Haud ſcio quid iſta factitaret, ſi ſuper
Tergo iuberet inſtrui coquus focum.
Menſæ eximuntur, dapibus exemptâ fame.
O quàm libentes è iuuentâ quipiam
Pilâ datatim aut agminatim miſſili
Hac in marinâ luſitarent areâ!
Obeſt Diei ſanctitas, Nautæ negant
Abire cupidi. Canitur ergo receptui;
Deſeritur hoſpes Inſula, in nauem ruunt.
Ni fallor, & fuêre, qui ſodalium
Anſam dedêre riſui, dum lubrica
Per latera lapſi pænè in vndas corruunt.
Nondum explicatis carbaſis, bonas dabant
Suæ ſalutes Inſulæ, quando graui
Tota illa motu ſuccuti, mox branchiis
Vtrimque lentis, inſtar alarum, è ſalo
Ductis in auras, eminere grandior,
Illaſque (volucrum more pandiculantium
Et de ſopore pigriori abeuntium)
Dextrâ & ſiniſtrâ tendere: exin arborem
(Meliùs coloſſum dixerim) caudæ leuans,
Hanc ventilare, (lætus vt piſcis ſolet)
Et pluere validam in exteros aſperginem.
Quid credis animi, quid metus, Maclouij
Fuiſſe ſociis, tam propinquis funeri?
Senſim illa montem capitis erumpens foras,
Pandit oculorum immane conceptaculum,
Vix

Vix metiendum triplici decempedâ.
Tandemque celſos horridi oris fornices
Reſerare cœpit oſcitans. Tunc vltimum
Periimus, ore quo ſolent in vltimis
Nautæ periclis, vniuerſi perſonant.
Poterat hiante bucculentâ gutture
Sorbere nauem in vela diductam ſuâ
Tam facilè, frixam quàm poteſt puer fabam.
Sed melior illis affuit cælo Manus,
Grandeſque folles Aeoli altum ſuſtulit,
Moxque à relapſis euibrauit Africum
In vela: Nauis exit, & procul metus,
Alioque verſum vaſta ſe moles agit.
» Dei eſt patrare mira: nec foret Deus,
» Mirus patrando ni foret: mirum foret,
» Si mira non patraret, & foret Deus.
» Maiora captu ſi nequiret is meo,
» Minor ille captu iam meo, haud foret Deus,
» Aut (pace Cæli dixero) pauper Deus.

Simia Diuinatrix.

Ex literis Indicis P. Antonij Figueredo 1611.

SCAZON.

QVos Bengalana Simios parit tellus,
Ea plurimorum eſt indoles, ab humanâ
Vt quinque leucas, vix & integras diſtent.
Vbi eſſe cicures & domeſticos fas eſt,
More famulantum ianuas domi pandunt,
Solumque ſcopis exterunt, merum promunt,
E flumine vndam quæritant, veru voluunt,

Si tamen abierit hinc coquus, veru vellunt.
Sunt & imitari,ſiquid obuiàm cernunt,
Docillimique cereique. Si multa
Caſtanea cinere deſiteſcat in caldo,
Ronchoſque ducat felis ad focum ſola,
Et iniqua ventrem Simij fames rodat,
Is abeſſe cernens forcipes pyragraſque,
(Eſt animus illis & malignus & ſolers)
Repentè felem raptat,ingemiſcentem,
In opemque ſuperos inferoſque clamantem,
Dein ſepulto verſipellis ab igne
Pedis alieni fuſcinâ nuces captat.
Haud procul ab Indo,rege fluminum magno,
(Eridanus olli vix foret Palatinus)
Paganus,vt fit,circulator inſignem
(Si qua fuit) huc illucque Simiam ductans,
Ingente viſendam lucro dabat paſſim.
Hæc ſi dediſſet obuio tibi χαῖρε,
Et reddidiſſes, & hominem ſalutaſſes.
Quæcumque caſus euolarat,aut fures,
Docta reperire: quodque mirius miro eſt,
Arcana miro detegebat arcano,
Penetrare viſa ſenſa vocis humanæ.
Ecquo iſta genio geſſerit pecus bruta,
Properè fatebor,neſcio: id reor ſcire;
Vt penicillo non bono bonus pictor
Gaudet venuſtas iconas figurare:
Sic,qui diſerta reddit ora lactentum,
Creare turpi è ſimiâ Deus vatem.
Iit in Mogôrum Regiam rei fama.
Achebar (Monarchæ nomen id Mogoræo)
Iubet aduocari ſimiam, magiſtrumque.

Vbi affuere (& affuere Primores,
Regiſque proles, Exteriq́ue legati,
Sed & nepotes Regij ſacris Lymphis
Chriſtoque nati nuper, idq́ue Aui nutu,
In iura nondum Chriſtiana perducti)
Varium ille nomen exararier mandat
Variæ papyro. Scriptus in ſuâ Moſes,
Fuit & Lycurgus in ſuâ, & Mahometes,
Iaponumq́ue Camus, Humouſq́ue Sinarum,
Tandemq́ue Ieſus in ſuâ: & velut motu
Sortes, in vrnam miſſiles, fatigantur:
Sic illa mixtim nomina. Hac dein voce
Effatur Achebar, ſimiamq́ue compellat:
» Viden' has papyros? Principemq́ue Primumq́ue
» Delige ſupremæ Legis inde Latorem.
Datâ ſalute, dexteraq́ue libatâ,
Simia papyros excipit, quatit, verſat:
Quod igitur abiit proſperè, ter infauſtum
Primum illa ſorte protulit Mahometem.
Vt vidit, vtq́ue putre nomen olfecit,
Quo dente potuit irruens, laceſſenſq́ue,
Proterere pedibus cœpit: atque idem Camo,
Sinicæq́ue legis Architectoni Humoo;
Dedit hinc Lycurgum riſui, ac humi ſtrauit:
Moyſique paulò res benignior ceſſit,
Solo ſiniſtræ negligentis excuſſu,
Caſſâ vt ſolemus abſtinere iuglande.
Aſt vbi in Iesv Maximi Optimi nomen
(Quod neque per vllum ſomnium præagnorat)
Vel primulos collineauit obtutus,
Mora nulla, lætis ſaltibus ſolum quaſſans,
Tollenſq́ue Diuum nomen, & ſuperiactans
Tripu-

Tripudianti vertici, osculum libat,
Regique Regiisque prolibus monstrat,
Professa veræ Legis esse Latorem.
Stupor Monarcham corripit, furor Verpos,
Cor-grande-dolium bubalos Mahometis;
Vni nepotes Regij triumphare,
IESVM IESVM nuncupare Victorem.
Iterare gestit Achebar experimentum,
Nominaque satagit destinata transduci
E Bengalino in Persicum charactera.
At è Proceribus quispiam arte, clam cunctis,
Eripit IESV nomen, & manu condit.
Exinde chartas redditas suo more
Voluit reuoluit Simia, & Mahometem,
Iterumque Mosen, Humoumque, Camumque,
Sed & Lacona repetit. hæret immota,
Terramque naso suspicace despectans,
Vngues tenace dente rodit alternos.
Stomachatur Achebar, circulator obiurgat;
„ Ecquid morarum est? inquit, Euge, dic, fac, fer,
„ Quis ab orbe genito legis optimæ lator,
„ Præque omnibus colendus? Illa suspirans
Circum errat oculo nubilo, ore liuescit,
Pedibus tremit, scabit caput, fodit nares,
Protuberansque, quà valens fuit, rostrum,
Et hos & illos Aulicos odoratur;
Demum Magistri dexteram suâ carpit,
Rectaque Procerem Pignoris sacri furem
Adit, sinistram prensat, & premit, tandem vt
Inuitus ille nomen abditum promat.
Quibus deinde gaudiis pererratâ
Exiliit aulâ? quamque mollibus scriptum

Figens IESVM basiis, refigensque,
Visa est profari velle, visa iurare:
» *Hic est Beatæ legis vnicus lator?*
Hæretice riden'? Euge, si tuus frater
Gnauum illud animal (cuius auris excelsa,
Cui crux, nec indecora, semper in tergo est,
De cuius vmbrâ bella lis fuit quondam,
Cui vox sonora est, armus infatigatus,
Cui pellis immortalis, ossa sunt ferrum,)
Olim profatum est improbo Balach vati,
Fuditque vocem incognitam suæ genti,
E dentiumque fauciumque fornace,
Quidni & licebit simiæ esse Diuinæ?

Abbas Brochas ingentē trabem ioco ab auaro quodam datam aufert seriò, & solus.

Ex Vitis PP. lib. 10. cap. 190.

BRochas Eremo vixerat in Aegyptiâ
Asceta magnus; quamque vellet, nomine
Famaque maior. Ergo (qualis in sinu
Maligna fœtum mater offocat suum)
Sic ille cupidus enecandi nominis,
Famæque parricida (si dici licet)
Quam peste peiùs oderat, fieri suæ;
Nilum relinquens & casam, nil consciis,
Quos accolebat, Patribus, tacitus migrat,
Proculque tandem deuium nactus locum,
(Veluti reuersa vere primo nidulum
Hirundo molli fabricatur è luto
Artifice róstro, nectit & paleas leues,

Plu-

Plumasque quas sors obtulit, quas & suo
Furata ventri est) sic tuguriolum Brochas
Sibi perpusillum struxit. hinc paruæ fores,
Illinc fenestra (rima veriùs) fuit.
Non alia fabro trulla, quàm manus fuit.
De silice paries creuit, & glebâ graui:
Arena scrupis mixta cæmentum dabat.
Labore demum pertinace conditum
Muris adultis stat Palatium Brochæ.
Sed fallor, expers tegminis, nudo iacet
Sub Ioue, sub vdo siderum spectaculo.
Nec vnde tectum construat, Brochas habet,
Cui silua nulla cædua aut incædua,
Non vmbra iunci, non arundo, non filix:
Namque abs arenâ sola arena pullulat.
Stat igitur, vrbis proximæ, quam condidit
Seleucus olim, in compitis lignarier,
Stipémve tecto surrigendo poscere.
Et fòrs palatî stabat ad limen sui
Iam pransus, Optimatium non pessimus,
Nomen Anatolius, Curuus agnomen fuit,
Excutere velle visus à se plumulas,
Et os fatigans ebore dentiscalpij,
Perdicis ac si iam comesæ frustulum
Etiamnum inesset dentibus solitis tamen
Tenui salillo viuere & fresâ fabâ.
Hunc conspicatus pro foribus Abbas suis,
Stipemque opimam fauce totâ deuorans,
Flexo cucullo, duplicato poplite,
Manumque tendens, voce mendicâ hæc ait:
„ Vir magne, cellam construo: tectum mihi
„ Lignumque desit; quæso te, paruam stipem

,, Largire; si qua tigna putrescant domi
,, Cariosa, alendo digna non etiam foco,
,, Fastigiandæ commoda hæc erunt meæ,
,, Quàm procul eremo in intimâ struo, casæ.
Obliqua Curuus intuens (quali soles,
Hæretice, vultu paria Mendicantium
Inspicere Fratrum, quando pauper Mantica
Tuam salutat ianuam, aut hiemis memor
Lignis vehiculum corrogandis ambulat
Tuâ in plateâ) sic Anatolius, cui
Fors obolus astris carior totis erat,
Prodesse nulli gnarus; haud ipsi sibi,
Volens egenus viuere, locuples mori.
,, Cacoëthes hoc est, hic Auarorum stylus;
,, Sed quæ tot annos sordidi concluserint,
,, (Patre vix sepulto, vix auo in Auernum dato)
,, Vnâ nepotans perdit aleâ Nepos.
Nasum ergo rugis opprimens, frontem striis,
Oculosque limus voce fuscâ hæc reddidit:
,, O quàm molesto tædio nares mihi
,, Mentemque lædunt olida mendicabula?
,, Hinc te, otiosæ fæx eremi, proripe,
,, Hinc procul; in vrbe pauperum plus est satis.
(Pergebat ore supplici pauper Brochas,
Suique tecti refricabat inopiam)
,, Apage, vel istud, si lubet, quercûs habe.
(Erat propinquo, ceu solent, muro accubans
Trabs longa densi roboris, quæ si foret
Fissa assulatim, facilè vicenas domos
,, Contegeret) Istanc, inquio, quercum rape,
,, Raptamque traduc quò velis. Ironico
Datum fauore munus, inspectans trabem,

Subi-

Subitoque factus dossuarius Brochas,
Fideque mentem muniens, pectus cruce,
Facili leuatam ducit in humeros manu,
Et gestat ansâ brachij immensam trabem:
Quod non bis octo baiuli mossent loco,
Id oneris effert; validi vt Heluetij solent,
Seu pace vigiles, siue bello milites,
Longas in armos euibrare lanceas,
Gressu deinde musico, æquipondium
Gestare faciles; sic suam stipem Brochas.
Stupere Curuus, deque curuo rectior
Repentè fieri cœpit, & blandùm loqui,
» Euge, inquit, Abba, perge quo pergis gradu:
» Meritò lubensque do, dico, addico trabem,
» Quam ferre virtus maior humanâ potest.
Curuo salutis ansa sarcasmus fuit,
Nam inane cæli pectus & vacuum Deo,
Terræque mersum, iamque finitimum stygi,
Meliore deinceps mente, sordes eluit,
Sordesque fugit. Nempe fieri sic amat:
De pumice fluit vnda, dum Superi volunt.

Honoris indoles, Aula, familia.

Mira est Honoris indoles; si quos videt
Animis anhelos, ac hiantes præ siti,
Pruriginemque nutrientes anxiam,
Sudore longo diffluere, tandem vt queant
In Diui Honoris ingredi Album nobile;
Illos aduncâ nare suspendens Honos
De splene toto ridet, & ludos facit;
Iam persequentes, iam prehensantes fugit

Suſpirioſos gloriarum Tantalos.
Nilque pudibundi, præter aſcriptum Nihil,
Domum reportant, quo parietem ornent ſuum.
Sed ſi fugaces conſpicatur, & ſui
Metuentiores quoſpiam, quibus tamen
Et multa virtus, multa ſit ſcientia,
Rerum magiſter vſus, & famæ nitor,
Amantiores pacis & ſilentij,
Latere cupidos in ſuo mutos lare,
Peiùs veneno peſtilente proſequi
Popularis auræ ſollicantes famulos,
Et inâne laudis gloriæque cymbalum;
Hos ambit, hos procatur, hos amplectitur,
Præire mandat, imperat lucem dare,
Iubet & cathedras celſiores ſcandere.
Hæc eſt Honoris indoles, hic eſt lepos.
Hæc inter Aulâ regnat amplus in ſuâ:
Huic ſupplicamus omne Sapientes genus,
Genus omne ſtulti. Semper eſt, ſemper fuit
Immenſa turba (quantus in Phœbi face
Vulgus atomorum eſt) turba, Regis arduas
Fores Honoris obſidens, cuncti ſuum
Manu libellum præferunt, ſunt & viri,
Sunt è iuuentâ, ſunt ſenes ſilicernij,
Sunt omnis ætas, & togâ clari & ſago.
Audent Honori, dignitatis quidpiam
Si rusticanæ aut vilis officij vacat,
Manu & papyro ſupplicare ſordidâ
Pago Menalcas in ſuo, Corydon ſuo.
Si vel miſellus lictor oppetiuerit,
Ilicò libelli ſupplices centum volant:
Si quando Præſul aut Senator vltimam
Con-

Conficere summam creditur; mox tanta vis
Volantûm in Aulam, tanta prensantûm manus,
Et ambientûm copia est, pænè vt fores
Easque ahenas Domini Honoris dissipent,
Et nisi satelles voce durus & manu
Vim vi reiceret, mox abirent cardine.
Familia Honori multa, prudens, integra est,
Oculoque vigilans & bonæ experiens rei.
A foribus ipsi Sudor est, ab epistolis
Labor, à sigillis & cubili Industria,
Ab aure fida semper est Prudentia:
Consilia Virtus ipsa signat intimâ.
Honor est Honori familiæ tantus decor.
Hos inter vnus vnicus, tantâ in domo,
Pincerna nequam est, dedecus creans suis.
Namque hic subinde captus aureâ manu,
Aut in popinâ delibutus Massico,
Meridianti porrigit tabulas Hero,
Et dignitates suadet indignis dari,
Dignosque toruis intuens, agit foras.
Quod magè dolendum, nundinas sacras facit
Gener hic Simonis, perque posticum ingredi
Iubet ad Honorem sæpè consimiles sui.
O si in catastam dederetur improbus,
Aut exul iret Virgicrepinas in plagas!
Meliùs haberent publica, meliùs Sacra.
Turpe Nebuloni nomen est; Amor Lucri.

Lutherus exorcizans in miras angustias à dæmone conijcitur.

Ex Bredembachio lib.7.cap.40.

MAledominatâ poſſidebat quiſpiam
Dæmon puellam in Miſniâ. Pauperculi
Parentis ierat omnis in ventum labos,
Vt Stygius hoſpes in ſuam demum Stygem
Recoquendus iret: reſtitabat carnifex.
Sub id dierum cœperat ſuum recèns
Nigra venditare Witeberga Saxonem,
Suumque nominare,ſi diis placet,
Sanctum Lutherum,ſcilicet qui grandia
Patrare,ſolo dæmonas ſputo queat
Fugare,ſolo ſpiritu cancrum,lepram,
Genus omne morbos,ſonticos,non ſonticos
Sanare. Mendax fama ſic vulgauerat.
Illò puella ducitur. Primùm negat
Pugnare pugnam hanc Luther: at victus prece,
Pudore victus,aut inani ſpeculâ,
Fore fòrs,amico cedat vt dæmon ſuo,
Leuemque mentiatur impoſtor fugam:
Capeſſit audax facinus,& malo ſuo.
Spectate Superi,vos fauete ô Inferi.
Lutherus exorciſmon,aſt exoticum
Idque execrato tentat in Sacrario.
Nihil hîc ſacrorum Lipſanorum,nil crucum,
Luſtralis vndæ ſtilla non vna vnica.
Seſquipatriarchæ ſola,ſufficit fides.
Denſata præſtolatur euentum Phalanx,

Luthe-

Lutheriano ex alueo bibax pecus.
Igitur minace & ventilatâ dexterâ,
Barbâ repexâ Luther,ore tetrico
„ Profatur: Heus tù Lucifugè, non me tuum
„ Agnoſcis hoſtem? Riſit ille, & reddidit
„ Hos gutturoſâ voce confeſtim ſonos,
„ Leo vt leonem nouit,vt lupus lupum.
Senſit Lutherus huncce promptiùs ſalem,
Quàm mane properum, nec diu,ſolitum ſibi,
„ Furere furorem diſtulit: Quis te,malùm,
„ Hanc in puellam compulit? (dæmon ſilet)
„ Edice coràm vt impero: (ſaxo canit.)
„ Tu ſpuma cæli non loquêris improbe?
Hìc ſepta reſerans ſtridulorum dentium
Dæmon rependit par pari,par vt fuit:
„ Tù vomica clauſtri non tacebis? per tuum
„ Iuro cucullum,quem dediſti perfidus
„ Inauſpicato de vepreto penſilem,
„ Ni mox ſilueris, faxo te vt pudeat tui.
Ad hæc,cuculli non ferens nomen ſui,
Luther regerere,quæ ſibi dictauerant
Diu diuque trito in Erroris Scholâ
Magiſtra Bilis & Magiſtra Dicacitas:
„ Tun' ô minarum follis imbecillium,
„ Canis illigate,vane baubator,mihi
„ Auden' minari? faxo vt in porcos eas,
„ Quò iuſſus olim es. In tui porcos Gregis
„ (Repungit ille) quos propinquos intuor?
„ Inibo,ſi fas fuerit, illuc pellubens.
Hìc tremere pro ſe quiſque circumſtantium,
Abeſſe cupidi mille paſſuum millia.
Ita Luther & Puella voce dæmonis

Conuitiorum magna plaustra congerunt;
Alterna volitant hinc ab hoc & ab hac probra
De diriori dente; nec satis scio,
Vtrò reciderit palma: clamosissimæ
Velut institrices fructuum in foro solent
Certare diris: in propinquam quæ potest
Plus vomere fellis, seu dicacionibus
Referire sannis; hæc vtrimque brachio
Ansata, victrix lauream refert domum,
Nisi quando linguâ fortè certatum est pari.
Dæmon subinde seu iocosis scommatis,
Seu sulphuratis laudibus Luthericas
Farcibat aures, nuncupans Fidei nouæ,
Noui Alchimistam dogmatis, nunc altero
Qui Patriarchas, qui Prophetas altero
Dodrante vincat, qui recrustarit Fidem
Veterem, exoletam, de mero ac puro Iouis
Imi cerebro. Fessus his tandem Luther,
„ Ego, inquit, astra testor, ac meam Fidem,
„ Faciam quod in me est, vt facessas impie
„ Profundioris Tartari tenebrio.
„ At se puella subrigens, Tuam Fidem?
„ Facies quod in te est? faxo verum vt dixeris.
Vix ore verba, vi silente dæmonis,
Sibi nec opino sensit ilicet ilia
Mugire Luther, dein boare valdius,
Mox intus atrocissimum premere ac premi.
Tunc ore patulo, conscius & auctor rei
Ridere dæmon; sed manum ventri apprimens
Sudare Luther: miseret astantem sui
Turbam magistri, nunc sedentis, nunc pede
Trepidantis vno: nare persentiscere

Dæmon

Dæmon mephitim ſimulat,& naſum premit,
Sed non cachinnos,ſplene quos toto vomit.
Mordere Luther labra,viui ſanguinis
Ad vſque fluuios. Ergo de ſacrario
Stat abire properè,ſtat ſacerrimis ſacris,
Dæmoni,puellæ,nuntium remittere.
Mora nulla,pandi mandat,at fruſtrà, fores.
Dæmon Profeſſor malitiæ nequiſſimus
Seram intus obturbauerat, peſſumdatis
(Quos clauis iniens intererrat)dentibus,
Adeoque valuas peſſulo oppilauerat,
Vt nulla vis,non brachij,non ingeni,
Reſerare quiret portam ineluctabilem.
Itum ad feneſtras: inſidebant ferrei
Clathri feneſtris. Quò Luther ſe flecteret
Anguſtiarum mole preſſus intimâ?
Millena vota fæculento nuncupat,
Quem vetat honeſtas nominarier, Deo;
Deoque tandem ſe vouet Patulcio.
Via facienda vi fuit; fractæ fores
Validâ bipenni,quam faber fòrs obtulit.
Vbi patuere rupta clauſtra,dæmone
Valere iuſſo (ſi valere vmquam poteſt)
Lutherus euolare,quò ſaturi ſolent.
Sit venia verbo,venia voto huic meo;
O ſi (nefandus olim vt Arius ſuam,
Euiſceratus in canali fœtido,
Deuouit animam purulentam Tartaro)
Si Luther iſtoc temporis,& iſtoc viæ
Mandaſſet atra viſcera in Ditis domum!
Non innataret Orbis his in lacrymis.

» Neque cauda caudæ. captus eſt meus coniux,
» Noſtrique pulli. Res momordit Emptorem.
Abit, obit, ambit, quæritans Iacoponum,
Datoque tandem cominùs, Meos pullos?
» Tuæne fidei dexteræque commiſſos
» Sic dederis aliò, quàm rogauerim, pullos?
Serenus oculo reddidit Iacoponus:
„ Tuos, Amice, crede, mox vt excepi,
„ Tuam fidelis in domum tuli pullos.
„ Meam fidelis in domum meos pullos?
„ Hæc illa Probitas & fides Iacoponi?
„ Negat vxor. Vxor perneget, tuli pullos;
„ Adeamus; oculi iudicis fidem teſtor.
Tumulus aditur. Cernis ædium limen
„ Ω'γαθε tuarum? Cernit, & Iacoponi
Pium leporem cum ſuis refert pullis,
Non inficetè, ſed ſalubriter luſus.
Poſtquam ligandum fune ſe dedit ſancto,
Gregi futurus laus ſuo Iacoponus,
Carnes peroſus, & cibos ſaporatos,
Contentus vndâ victitauit & pane.
Liuore toſtus & retoſtus antiquo
Videbat, inuidebat, vt ſolet, dæmon.
Fòrs iam peractâ lege Temporis Parci,
Bonus eſuribat improbè Iacoponus.
Mox hinc negotî corripit faceſſendi
Malignus anſam, protinuſque nolentem
Facit vt cupido lancinet Iacoponum
Comeſſe, ſi daretur, exta porcina.
Iam pingue omaſum, iam volutat inuito
Farcimen animo. Millies ſubit mentem
Succidiarum in crate ſemitoſtarum,

Nunc auris olli, roſtra nunc ſuis cæſæ,
Vt emptitantur in foro, recurſare.
Sed præ vna reliquis, diriuſque mordere,
Seu ſit precandi tempus, Exta porcina,
Seu dormiendi tempus, Exta porcina,
Et poſt canendi tempus, Exta porcina.
Quid faceret? ars hîc arte (clauus vt clauo,
Cuneuſque cuneo truditur) retundenda.
Quando ergo ſtimulis acribus fames vrget,
Coëmenda tandem curat Exta porcina.
Dæmon futuri neſcius, triumphare,
Vt vidit empta. Sed triumphus in fœdum
Breuî pudorem & nauſeam triumphantis,
(Quod & ſalubre & proſperum fiet,) vertit.
Suſpendit empta in cellulâ Iacoponus,
Et iam vnus, alter, tertiuſque, quartuſque
Dies abire, ſeptimuſque, nonuſque,
Et neque coquenda, nec veru volutanda,
Frigenda prunis non dari Exta porcina;
Putere tandem & vermibus ſcaturire.
Penſilia lætabundus Exta reſpectat,
Manu frequente ventilat Iacoponus,
Vt dormientem ſuſcitare fœtorem,
Auremque vellicare vermibus poſſit.
Et ſæpè naſo, ſæpè naribus dixit:
Vtiminor ac fruiminor, Exta ſunt noſtra.
Videbat, & fremebat, vt ſolet, dæmon,
Saxoque in aures proprio repercuſſus,
Mandata porcis vellet Exta porcina.
Ridens orexin hîc ſuam Iacoponus,
Seu cùm libêret ferias dari ſomno,
Seu cùm Penates in ſacros precaturus,
Seu

Seu cùm iret aliò; pendulam salutando
Deuotus escam, basiisque libando,
Et hîc & illic labra dura figebat.
Sed (quod legenti possit audientique
Stomachum ciere) dentibus iocabundis
Linguaque putrem prouocabat aruinam.
Tandem rogatus cur sui Iacoponus
Tam dirus esset, tamque pertinax osor;
„ Tentatus, infit ille, tento tentantem,
„ Et me, salubri fraude, vexo vexantem.

Morbus & medicina dæmonis.

Ex Concion. quadrag. Maillardi.

APologon audi Lector, & verum puta.
Morbis Olympus solus est imperuius;
Hîc æuiterna sanitas, hîc corporum
Velut ære fusa stabit integerrimis
Compago semper viribus. Tellus, mare,
Aër, & alta montium, alta vallium,
Secreta nemorum, ac vrbium frequentia,
Ima fluuiorum summaque, infirmis scatent.
Regina latè regnat Aegrimonia.
Gangræna pisces delitentes arripit
Mediis in vndis. Nauis à teredine
Estur malignâ. Quis negabit arbores
Carbunculare? siderari vineas?
Podagram cicada, cordolia canis sua,
Philomela rauim patitur, & suos habent
Muscæ catharros & suam dysuriam.
Extrema cauda ni amputetur felibus,

Lentâ

Lentâ recedunt tabe febris hecticæ.
Venio, venire quò volo. Et suos habet
Morbos Auernus. Nuper illic quispiam è
Principibus Orci, deque cornutissimis
Spondâ iacebat æger in vastissimâ:
Ahena crates culcitæ subiens locum,
Ceruical olli ferreum & candens erat,
Intusque flagrans carbo, plumarum vice,
Stragula nigrante texta fumo & sulphure
Operibat ægrum: & hinc & inde plurimi,
Et multicorne & longicaudatum pecus,
Solamen ægro quisque pro sese dabant.
Hic, ne enecetur frigore, extremos pedes
Ardente saxo calfacit: teterrimam
Picem hic propinat, dum sitit: Sunt qui offerant
Fungos vetustos, vniusque sæculi;
Sunt qui papauer putre, somnos vt vocent.
Scitantur alij, principis vicem anxij,
Ecquid palato rideat famelico?
Cupiátne porcum fortè Troianum, cui
Sit fartus altùm venter assatis simul
Cuculis & vlulis mille, mille noctuis
Bubonibusque? respuebat. An velit
Ter mille frixos peponas in sartagine
Instar fabarum? respuebat. Forsitan
Balænam in atro felle coctam, rancido
Oleo innatantem? respuebat. Denique
Minutal ingens mille de bufonibus
Totidemque colubris. Respuens & despuens,
„ Mox ille, Quotquot ambitum strato datis,
„ Ignara Pecora, quid velim, quid non velim;
„ Volo, inquit, ingens ferculum in paropside
Ingen-

„ Ingente,lautè comparatum & dapſile.
„ Properate,maturate, Paſtillos volo
(Orexis illi dura ſingultum dedit,
Interque rupit verba) paſtillos volo
„ Linguis refertos improbis. Linguas mihi
„ Mora nulla,de repentè,de veſtigio
„ Vos Orbe toto quærite. Id fercli volo.
Apologon audis Lector,haud falſum putes.
Nil ægrienti dæmoni eſt optatius,
Quàm lingua mendax, lingua fallax,improbos
Prona in ſuſurros,aut probra,aut calumnias.
Heus Sycophanta,ſi ſapis,linguam preme,
Tuque Thraſo fumos venditans aut emptitans,
Raptor alieni nominis,crepans tui,
Vitilitigator,quadruplator,ſannio,
Et tu doloſe,tuque bucco ſordide,
Et plene Veneris fæculentis pultibus,
Cauete ſultis impiæ carunculæ,
Iniquitatis fomiti carunculæ,
Iliadi mille funerum carunculæ.
Cauete; ab orco Turma grandis vndique
Inſtructa calathis aſtat à tergo,ad latus
Infrà ſupraque, Principi veſcas ſuo
Genus hocce linguas quæritans. Os claudite
Centuplice ſerâ, peſſulo centuplice.

Vota Amico facta.

TIbi quod optas & quod opto,dent Diui,
(Sol optimorum in optimis Amicorum)
Vt anima ſemper læta neſciat curas,
Vt vita ſemper viua neſciat canos,

Vt

Vt dextra ſemper larga neſciat ſordes,
Vt burſa ſemper plena neſciat rugas,
Vt lingua ſemper vera neſciat lapſum,
Vt verba ſemper blanda neſciant rixas,
Vt facta ſemper æqua neſciant fucum,
Vt fama ſemper pura neſciat probrum,
Vt vota ſemper alta neſciant terras,
Tibi quod optas, & quod opto, dent Diui.

Seruus Perüanus vorans ficus, literas videre & loqui credit.

Ex P. Richeom. Valedictione animæ.

VBique, quidquid dixeris, Bœotia eſt;
Cælo ſub omni proſtat Arcadiæ pecus
Venale, pretio cui libet quanto libet.
Vbique fœnum eſt fœneique caudicis
Ingenia, barda, luſcioſa, gibbera,
Velo trilici & triplici circumdata.
Seruum vir Europæus in Braſiliâ
Peruuianum coëmerat, monſtrum viri.
Nobilibus iſtuc ſæpè delicium eſt, aues
Haſce educare territandis paruulis,
(Si fortè plorent,) aut creando riſui.
Stabat labroſus bucco, vtrimque loripes,
Naribus obeſus, voce fuſcus, & myops;
Dextera ſiniſtro, ſed ſiniſtra dextero
Spectabat oculo, bellus obtutu ſtrabus,
Sed flaccus aures ſemibeſſe pendulas,
Inſtar lyciſcæ aut vertagi venatici,
Inſtarque peponum acuminatus occiput,
(Mon-

(Monticulus etiam tergo in obstipo sedet)
Neu quid deesset, tota verba nunc vorans,
Nunc tota truncans, veriùs longissimas
Ducens in vlnas balbus, & naso fluens,
Oculísque totis lippiens totos dies,
Vacuus cerebro, quodque peius est, edax
Gurges ciborum, & dum potest, barathrum penûs.
Obliuiosus nominis etiam sui.
Quàm benè habitabat mens in isto cortice!
Per hunc amico destinare corbulam
Ficu refertam præcoquâ volens Herus,
Pariter amoris atque doni nuntias.
Dat perferendas huicce Fungo litteras.
Abire frugiperda fiscinam ferens:
Ast iter eundo. Domina curiositas,
Cognata stultis, atque bardorum soror,
Aperire suadet. Pandit, & ficulnea
Primùm ille folia conspicatus, cærulas
„ Deinde bulgas elegantes; Quid rei,
„ Quid, inquit, istæ gestitant crumenulæ?
(Numquam ille ficus ederat, non viderat)
„ Soluit putamen mollicellum. Prô, ait,
„ Hæcíne crumenæ purioris sacchari?
Caue sis, gulose, Litteræ linguas habent,
Vt murus oculos. Si sapis, manum abstine,
Magísque dentem, si sapis, gluto, abstine.
Sed has habenas currus audit scilicet.
Primam secunda, tum secundam tertia,
Et quarta sequitur tertiam gressu pari.
Quò plus voratæ, plus vorandæ. In dentium
Sic colliquescit saccharum palatio.
Et ambidexter mandit ambidexterè.

Dex-

Dextra & ſiniſtra diſputant, vtra crebriùs
Inculcet offas Cerbero ficulneas.
Ficubus edendis facta mens olli fuit,
Magiſque triplo quàm fuit ficulnea.
Ehodum vorator, lubricas terge manus,
Sat prata iam bibêre, riuos claudito.
Abit ergo grauior ipſe, leuiorem ferens
Corbem; obſeratam commodè offert Nobili.
Legit hic, recenſet, atque reliquias videns,
,, Quo iure decimaſti, inquit, in fundo meo,
,, Meiſque rebus? tot tuliſti, ne nega,
,, Tot & voraſti, ne nega. Conſtans negat,
,, Egóne ficus ſurpui? ficus ego?
,, Te ſurpuiſſe, ſubdit alter, ſplendidè
,, Ipſum id loquuntur litteræ. Quid litteræ
,, (Danus reponit) quid loquuntur litteræ?
,, Oculíſne capta & auribus captiſſima
,, Poteſt papyrus id loqui, & falſum loqui?
Ridere ſecum Nobilis Daui inclyti
Inſulſa ſymperaſmata, vt furtum premat.
Et mox remittit ad ſuos cum teſtibus
Rei peractæ litteris. Simulat Herus
Iterumque amico mandat, hocce baiulo,
Lapſis diebus pauculis, qualum nouum;
Decipula muri fit comes, lepori plaga.
Væ ſi vel vngue, quod gerit, tangat leui.
Vix ille dimidiauerat cœptam viam,
Cùm ſuſpicitque, deſpicitque, reſpicitque,
An nemo, nullus, vſquam & vſpiam ſiet;
Memor pericli nuperi, at memor magis
Cupediarum nuperæ merendulæ.
Effrænis omni Cupiditas clauo caret.

Cor-

Corbem ergo reſerans, litteras primùm, dein
Deſiderati ferculi annonam videt:
Vix ſe tenebat, & manu manum fricans
Gaudebat altum gaudium. Tamen tamen
Obliquiore litteras naſo aſpicit,
Animique varius pendet, & prodi timet.
Sed nactus apti conſilî firmam ratem,
Saxo has reperto ſubdit, & ſaxo ſedet
Saxum ipſe, trepidos ſic metus amoliens.
„ Nunc totus, inquit, alacer in ficus ruo:
„ Dormite vos ô Litteræ. Satis ſcio,
„ Quanto in periclo virgidemiæ fui,
„ Veſtræ ſororis nuper indicio: niſi
„ Mendaciorum pallio fulto benè
„ Benè fultus iſſem, de cute actum erat meâ,
„ Inſipida groſſus, durior duricoriâ,
„ Corio fuiſſet in meo mox conſita,
„ Vice tenerarum, quas voraram, ficuum.
„ Nil iam verendum à litteris, nimium benè
„ Dormire iuſſis: Prandeamus. Ilicò
De ventre corbis in ſuum ficus iacit;
Et vſque & vſque, nec quies, nec eſt mora:
Sæpè & petiolos, ſæpè & ipſum corticem
Longè rapidiùs, quàm puer ceraſum, comeſt.
Ne fortè de ſub lapide litteræ inaudiant:
Strepitum molentûm, quà poteſt, molarium
Deuitat, & ne pareant, à ſe procul
Iactat petiolos ſedulus. Sed iam ſatis,
Et finis eſto, fuce, ſolue ſymbolum.
Barbam repectit, tergit os manu probè,
Digitoſque lambit, litteras reſuſcitat.
Pergenſque, geſtâ re velut probiſſimè,

Inta-

Intaminatam Nobili dat ſportulam.
Supereſſe lectis ille ſola litteris
Analecta rurſum ſentiens, laudat virum,
Cum gratiiſque litteriſque redeſtinat
Domum, ad vorandas in nouum ientaculum
Ficus acerbas in nouis repotiis,
Si fortè lubeat (& lubebit) ſic Hero.
Herus retorto litteras vultu legit,
Hominemque relegit, voce dein grandi tonat:
„ Stigmatice, paucis, huç adeſdum, te volo:
(Adeſſe iuſſus ille, nil hili ſibi
Conſcire ſimulat, innocentior niue)
„ Non te tuique & criminis pudet tui,
„ Improba vorago ficuum? Ficus ego?
„ Egóne ficus ſurpui? inquit. O here,
„ Abſit nefandum, quod mihi impingis, ſcelus.
„ Negoque pernegoque quidquid Litteræ
„ (Nequitiâ ô ipſâ nequiores Litteræ)
„ Ementiantur. Crede iurato mihi.
Herus adhibere ſcilicet Dauo fidem.
„ Adeſte famuli, adeſte virgarum nemus.
Vix ea profatò, iuſſu herili conuolant
Mancipia valida bina plagoſiſſima,
Tiliæ maniplos emedullarant probos,
Manus bifuris colligant, vltricibus
Armantur vlmis in dearmatam cutem.
Nudi ergo tergi (collis inquam carnei)
Lentiginoſa rura molliter fricant,
Vt lene carminarier linum ſolet,
Vt aſellus arefactus emollirier:
Deque repetundis agitur iſtoc in foro.
Has inter vmbras, inter has ficus nouas

Fice-

» Ficedula cantat: Diua veritas vbi es?
» Virgæ recantant: Residet in tergo tuo:
» Nisi fateare, nive ficus exscrees,
» Moriemur omnis vlmus in eadem domo.
Talis medullæ ficuum tandem satur,
Pictus satis superque pigmento vlmeo,
Noxam fatetur, vim intulisse corbulæ,
Decimasse fructus. Ceterùm mentirier
Per omne rostrum, perque dentes improbos,
Has lingulacas proditrices Litteras,
Quòd se vorantem viderint, audiuerint.
» Causam rogatus, Has ego, inquit, saxeâ
» Sub mole tenui, pressi, & insedi vorans,
» Vt non videre, non subaudire hac suâ,
» Quamuis odorâ, nare potuerint sonum.
Hoc erat acumen ingenî Peruuij.
Bœote gaude, non fuit, nec pòst erit
Bœotus aër solius Bœotiæ.
» Nempe iste Mundi mundus est, & multiplex
» Quà corporum quà mentium choragium.

Iudæus vas vacuum, sed signatum.

S. Greg. lib. 3. Dialog. cap. 7.

SCAZON.

AVt scruta venditurus, aut vetus ferrum,
Aut sulphurata mucida, aut suos tandem
Visens Apellas, ibat improbo passu
Iudæus abs Campaniâ pedes Romam.
Fòrs Hespero vocante nox supergressa,

Sed

Sed Cynthiâ latente non opinantem.
Circum atra fudit pallio tenebrarum,
Et omne rapuit, indicem viæ, lumen.
Sed, quod laboris & negotij ſummum,
Hoſpitia nuſquam : non fuit recens viui
Vel vmbra fungi, membra cui daret feſſa.
Solamen vnum id : hîc Apollinis fanum
Manus vetuſtæ propter Appiam ſtabat,
Sublime quondam, nunc taberna bubonum,
Aut vbi choragus & chorea ſagarum
Nigrum frequenter ſuauiata ſunt Hircum.
Erat hinc & inde peruium, fores nullæ:
Partem vorarat os edax vetuſtatis,
Partemque melior dextra Chriſtianorum
Tranſtulerat alios in lares, Sacros Diuis.
Iudæus intrò ſe dedit, ſed ingreſſus,
Superque vetere marmoris ſedens fruſto,
Horrore cœpit irruente percelli.
Quid faciat? aut quo ſpiculo metum pellat?
Viderat in arctis rebus, in tenebroſis,
Cruce Chriſtianos frontis æquor armare,
Fugare ſpectra, diſſipare terrores;
Seu mare deorſum, ſeu dehiſceret ſurſum
Iratus aër ignibus procelloſis,
Crucem periclis ire præuiam cunctis,
Memorque moris optimi, Crucem fronti,
Formare pænè neſciâ manu, figit.
Sed in vmbilico noctis en fragor grandis,
Videt in malignâ luce ſulphuris, denos
Pice tetriores introire Pygmæos,
Claudos, labroſos, gibberos : ſuæ flammæ,
Sua cuique fax eſt: horridum dein monſtrum
Caput

Caput coronâ nobile,& manum ſceptro,
Greſſus erat illi,Principiſque maieſtas.
Fuitque (pronum eſt augurarier) Pluto;
Aderat Satelles antè,ponè,tricenus,
Suâ bipenni notus & ſuo faſce;
Sed faſce,ſed bipenne ſæuus ignitis:
Innumera demum turba fæcis Infernæ.
Vbi ventum ad Aram,quæ tot hoſtijs quondam
Floruerat albis,æquâ nunc humo ſordet,
Tetro in ſedili Pluto tetrior ſedit.
Grandique cœpit,*Ille Ego*,ferocire,
Suoſque titulos Infero nigros fumo
Vel ad dolorem faucium peragrare.
Poſt multa tandem (vt moris eſt magiſtrorum,
Vbi feriatum meta flebilis tranſit,
Exigere Theſeos litterariæ penſum,
Aut ſabbatina dum timenda lux orta eſt,
Res expedire pigrè & impigrè geſtas)
Sic & ſuorum velle ſe miniſtrorum
Cenſere facta per Proſerpinam iurat.
Tremuere cuncti,palluere ſocordes,
Memores pigritiæ,verberumque præſagi.
„ Heus tu,inquit, (aliquem deuocauit è turbâ
Iam iam è cruento iurgio reuortentem)
„ Dic vnde nobis,& laboris iniuncti
„ Expone ſeriem,quaſque pro meo iuſſu,
„ Tuoque captu perpetraueris ſtrages.
„ Ego (infit ille glorioſior tauro,
Qui mille iuuenes ventilauit in circo)
„ Paphlagonas inter,lugubrem dedi rixam,
„ Vbi & maritis coniuges,patres natis,
„ Militibus vrbes ciuibuſque deiunxi.

» Et quæ mearum magna pars fuit laudum,
» Fuit dierum ter decem labor tantus.
» Labor dierum ter decem? refert Pluto,
» Et pro lucello tantulo moræ tantæ?
» Age citus, inquit, lictor, expedi fascem,
» Scapulasque pecudis huius impetens flagris,
» Fac vt facinorum debitas ferant laudes.
Sic imperarat: lictor ilicet sæuum
Laniare fascem, dæmonisque damnati
Calfacere glabrum tergus igneis vlmis.
Sic meritò in armos luditur tuos dæmon,
Dum sempiternus ille, quo crepas, liuor
In damna nostra sudat, in tui demum
Incude dorsi ius reciprocum cudis.
Rogatus alter quid rei peregisset,
Et hic referre, se Britannici Ponti
Commosse rabiem, nauibusque depressis
Ad ima pelagi destinasse centenos.
Diesque tantùm perdidisse bis septem,
Si perdidisse est, dixit, id lucri ferre.
„ Plectêris & tu, Pluto ait; lucrum bellum,
„ Et grandis operæ pretia scilicet pendis.
Mandante Rege, moxque fasce dissuto,
Et in hunc satelles alter impiger sæuit.
„ Ego, inquit alius, moui ad arma riuales,
„ Dum sponsa sponso Principi datur Princeps,
„ Ferale bellum, quale non apud Cannas,
„ Vix ad superbos Ilij stetit muros,
„ Necique sponsus, & stupro datur sponsa.
„ Si lacrymarum sanguinisque vis ingens
„ Sibi reperisset alueos, Erythræum
„ Nunc æquor essent, concolor rei nomen.

Hyper-

Hyperbolarum montibus super vectus
Sic fuerat ampullatus: & dies denos,
Neque plus dedisse gloriatus impensæ,
Sperabat Emissarius stygis laudem,
Et opima spolia: pellis at suæ sola
Acerba gessit spolia, Principis iussu,
Iustæque mantissæ loco & loco cœnæ,
Rectà in triremes ire iussus est furuas.
Fuit, è minorum gentium tribu, nequam,
Qui risui ansam nobilem dedit cunctis.
Venire se Delphis ait; Magistratum
(Se suggerente, promouente, cogente)
Vectigal, vt sit, indidisse frumento,
Aut maius æquo, aut ciuium voluntate;
Moxque institrices præ furore bacchari
Cœpisse frumentarias, & has fuste,
Illas præustis sudibus, has colu, has scopis,
Sed & fuisse quæ ensibus maritorum,
Hastilibusque masculis superbirent,
Et irruisse in Curiam, Senatumque,
Neque pauciores irruisse quingentis.
Fors è fenestrâ viderat, sed eludens
Vsusque noto ciuibus solœcismo,
„ Sunt feminas, nec interest, ait Prætor.
Sed præbuere se viros, & impostum
Vectigal antiquarier coëgere.
Id non Apollo Delphicus præoptarat.
Sic iste retulit, & benignior Pluto
Redire Delphos, purulenta sectarum
Plantare lolia, diriora moliri,
(Ni diriora perpeti velit) mandat.
Prodire tandem quinctus, is metus expers

„ Sic fatus: Annos, esto, plusculos triui,
„ Vt ille sceleris purus Andreas, Præsul
„ Fundanus, vnco velleretur obscœno,
„ Illum flagrantes in libidinis prunas
„ Iactare volui millies: sed elusit,
„ Meque ipse risit millies fatigatum.
„ Quo non tigillo rebar, hoc labascentem
„ Ruina mentem perculit repentina.
„ Iô triumphe! Lucis inter hesternæ
„ Morientis vmbras, me facem ministrante,
„ Illa sine sensu cœpit in plagas sensim
„ Optata primas impedirier præda,
„ Dum plus decoro iam domesticus, dextrum
„ Monialis humerum blandiente pulsauit
„ Iocatus alapâ. Hîc Pluto gaudij bombos
Pulmonis intra ferre nescius septa,
Quantum ore potuit, edidit cachinnorum,
Solioque surgens, pro labore tam fausto
Gnauo clienti molle basium fixit.
„ O esca delicata noxa Magnorum!
„ Esto, minutâ sit minutior muscâ,
„ Inde tamen vngues lambit, & frequens lambit
„ Glutone labro grandis Helluo Pluto.
Haud procul ab illo dæmonum Tribunali,
Audire licuit & videre Iudæo
Plutonis iras, dexterasque lictorum
Densis pluentes ictibus, doloresque,
Ipsaque reorum vapulantium terga.
Sed basiantes intuerier nisus,
Dum caput in altum curiosior tollit,
Intuitus illum Pluto, voce fumante,
„ Quis est, quis ille est, inquit, inter arcana
Qui

„ Qui nostra sese fraudulentus immisit,
„ Et post columnam delitescit aduersam?
Fueritne Hebrææ frigus & metus spinæ,
Coniicere Lector è tuo potes dorso,
Si quos tragœdos vidit ille, vidisses.
Mora nulla, stygij conuolare Pygmæi
Cum face, quid hominis hic foret, rogaturi;
Sed & satelles multus. Vt propinquarunt,
Primore naso vt olida membra gustarunt,
Vbi visus ollis pileus fuit flauus;
„ Hic putris Apella est, quid moramur? exclamant:
„ Rapiatur humeros putidos dearmetur;
„ Supplicia nostra vidit, & suum pendat,
„ Iungatque cæsus lacrymis suas nostris.
„ Deripe satelles alteram cutem verpo.
Satelles vngue iam imminebat in crinem
Adeò fluentis & rigentis, vt totas
Sudoris ollas frigorisque complesset.
Ast vbi suboluit antè fixa Crux fronti,
(Vt nare sunt sagace) mox retrogressi
„ Valido boatu personare, Iudæus
„ *Vas* iste *vacuum vas* Apella *signatum* est.
„ Abeamus. Abeunt & Tribunal & Iudex,
Et cum ministris euolant suis fasces,
Rapidiùs auras peruolante fulgêtro.
Repentè solus, & stupore defixus,
Secum ipse varia sciscitatur Hebræus.
„ Siccíne, ait, vna in copias Auernales
„ Tantum potuerit, solius dicis causâ
„ Formata Crucula, dexteraque Iudæâ?
„ Quid Christianâ fiet & manu & mente?
„ Siccíne malitiæ dæmonum pigrescentum,

" Neque collocantum pessimè suas horas,
" Tanta Laniena est? in reos rigor tantus?
" Tantam & leuicula tactio iocabundi
" Pepererit Atro Principi voluptatem?
" Et id pericli Præsuli pio, puro,
" Nequedum pudicam præter-aream gresso?
Tandem recepto spiritu, metu pulso,
Etiam ante valuas dormientis Auroræ,
Adire Fundos, Præsulique conuento
Referre visa statuit, & Deo dante,
Seipse Christo dedere & sacris vndis.
" Deus hamiota mirus est, modo miro
" Anguillam Hebræam trusit in suos casses.

Combibones ebrij domum in nauem conuersam planè sibi persuadent Agrigenti.

Richeom. in Picturâ spirituali.

O Vina, quæ non damna, quas non noxias
Pleno creatis alueo mortalibus?
Et vos Adusta, pessimorum pessima,
De fæce nata putidâ, scabies mera,
Digna in cloacas puris eiectarier.
Sit fas Hilaribus ephemeram phrenitidem
(Cuius Agrigentum testis ac oculus fuit)
Plorare iuuenum, qui potenti cæcubo,
Et fòrs adusto farserant sese mero.
Adeò cerebrum vis falerni euerterat,
Vt prorsùm in alto se esse iurarent mari,
Et verò nabat ratio in oceano meri.

Cer-

Certum ratumque credidere, quòd domus
(In quâ Nepotes & popinones bonam
Noctem diei combibendo iunxerant)
Triremis esset, in salo irato tremens,
Et à procellis & frementibus Notis
Iam iamque ad imum destinanda Tartarum.
Hinc quidquid actitare certatim solent
Tumidis in vndis deprehensi nauitæ,
Hoc & misellos excerebratos iuuat
Et penitus omnes. Merita risum res fuit,
Fuit & cothurnos, & tragœdi lacrymas.
Igitur relictis derepentè cantharis,
Sedilibusque torisque prostratis solo,
Manus ad astra supplicabundi dare,
Inconditisque personare vocibus,
Ac si coortu turbo decumano ingruat
Iam iam futuris naufragis: & huc, & huc,
Illuc, & illuc quò metus mandat, rapi
Sursum ac deorsum. Penetrat hic imam penum
Ratus carinam, tentat an sit in vado,
Annon saburræ degrauetur pondere?
Scruto ille rimas stupeo ferruminat,
Ne quam irruenti præbeant vndæ viam.
Postica visit alter, & puppim putat:
Abesse clauum sentit, excussum putat,
Alius caminum scandere, in carchesium
Sese ire credens, spectat eminus eminus,
Hinc inde stellas quæritando sospitas,
(Diurna Luna lampade has condit suâ)
Explorat auras aure iam vnâ, iam alterâ,
„ Et furere clamat Africos, Proràm, ô viri,
„ In vada ruentem ni reflectitis citi,

„ Ni vela legitis, & triremem obuertitis,
„ Actum est, periimus. Cernitis? non cernitis
„ Vt in propinquo scopulus asper, horridis
„ Hinc inde septus est vadis? Palatium
Cernebat exsternatus in viciniâ,
Cautem æstimabat: ceteris terror nouus,
Noua territuri forma se discriminis
Offert, Charybdis instar aut Scyllæ nouæ.
Pelagus cerêbri turbidum magis ac magis
Vertiginosis voluitur typhonibus.
Et quod pericla summa nautis imperant,
Oneribus agiles reddere egestis rates;
Hoc & iuuenibus mente decussis suâ.
Totam deonerant hi domum, foras foras
Abire iussis per fenestras in viam
Fulcris, catinis, culcitis, mensis, cadis:
Desideratum nempe, si Ioui placet,
Ire vt triremis leuior in portum queat.
Sed timor eundo crescit, & crescit furor.
Vicina plebes excita his fragoribus,
Vrbisque Prætor, & satelles plurimus,
„ Pro foribus astant: Heus viri, quis, inquiunt,
„ Vos æstus agitat, quæve vos dementia
„ Tanto tumultu prouocat baccharier?
Illi hasce voces, piscium voces rati,
Non capere, non mouerier, nisi in suam
Iterùm retrusi insaniam, quod obuium est,
Hoc in cateruam piscium iactum dare.
Et Prætor illis quispiam è Tritonibus
Aut Diis marinis creditur: huic supplicant,
Et si triremem seruet, huic aram vouent,
Quando in paterno sospites erunt lare.

Labo-

Labore fessis & metu phantastico,
Maligna tandem vina decoxit sopor,
Cerebri quieuit æquor, & fluctus meri:
Rediit triremis in domum,& nautæ ad suos.
„ Humana mens,mentis supernæ portio,
„ Sic ire præceps in voraginem potes?
„ Sic esse demens,esse dementissima?

Stratagema mulieris Belgicæ, quæ maritum vino sepultum linteo innoluit velut mortuum ac tumulandum.

Ex relatis viri probi.

CAutum & venustum callidæ,nec auditum
Mulieris audi Belgicæ stratagema.
Erat huic maritus improbissimus potor,
(Ab orbe nato si fuit) dies totos
Profundiorum municeps popinarum,
Et integrarum noctium terebrator,
Exhauriendis cantharis culullisque:
Renuntiari potuit optimo iure
Biberius Imperator,aut Mero Consul.
Crumena nummis si fuisset exsucca,
Et nactus esset hospitam Charontæam,
Taberna abibat obsitus probè probris,
Expalliatus sæpè & exgaleritus.
Dicamne paucis? destitutus à mente,
(Quam vina fors adusta,fors potens zythum
Cerebra visens delicata,turbarat)
Domum redibat, (si redire sit,passu
Labi & relabi quolibet) luto bello

Frequenter aures delibutus ad ſummas:
Vtrimque muris hinc & hinc repercuſſus,
Subinde muros vulnerabat impactu.
Sed quid domi? & quid nō domi? hîc dabat peſſum,
Quidquid familiæ fortè, quidquid vxoris
Habere potuit obuium: nihil tutum.
Væ lancibuſque, ſedibuſque, menſiſque.
Miſeranda proles, verberum metu preſſa,
Frequens profundo delitebat in furno.
  Quid faceret vxor? obſecrauerat, flerat,
Iurgata fuerat, inuolarat in barbam,
Nil lacrymæ olli, nil preces, nihil diræ,
Nil profuere iurgia & graues iræ.
Nimis hunc tenaci Bacchus alligat viſco,
Et combibonum nodus, inſcius rumpi.
Contuſa quoties illa mole pugnorum,
Oculis & ore liuida, exos, elumbis,
Vlulanſque medium prouocarat in vicum,
Opemque ciues, clamitans, opem ciues?
  Quid faceret? audax comminiſcitur factum.
Lecto iacebat ille ſeſquiſopitus,
Quem nec tonitrua ſuſcitare millena,
Vix ipſe poſſet orbis axe dilapſus.
Senſim illa vinclis ebrias manus ſtringit,
Et corpus amicit linteo ſepulchrali,
Lenteque nudum voluit in pauimentum:
Et hinc & inde ſtare funebris lampas,
Et ille ſomnos ducere, & graues ronchos.
Tum derepentè concit ipſa vicinas,
„ O conuolate, conuolate. Quid rerum eſt?
Deinde crocodili lacrymis gemens fictùm,
Oculos, ſaliuâ lubricando, rubricans,

Dat

Dat verba grandi semirupta ploratu:
» Heu mi marite, mi marite, vitales
» Nec opinus auras morte tam citâ linquis!
Nildum moueri noster, ast humo nudâ
Velut in cubili conquiescit absorptus.
Rursum ergo validos vxor inchoat planctus,
» O mi marite! ô! Audit, & graues sensim
Recludit oculos, perque linteum lucem
Videns malignam, brachia & pedes sentit
Densâ reuinctos compede & graui nodo.
Quid cogitasse cogitatis hoc viuum
Cadauer? ipsum pæne mortuum è viuo,
Angor stupori mixtus, horror angori,
Fecere. Trepidat se mouere tantillum,
Sed tacitus audit coniugis suæ luctum.
» Siccine maritus (inquiebat) inferno
» Deuotus igni est, atque raptus in pœnas,
» Quas grex nefandus tolerat ebriosorum,
» Interminatas, horridas, Auernales?
» O si vel hilum pœnitentiæ morti
» Vnum præisset, vnicumque Peccaui!
» Et non meraco ter sepultus in vino,
» E vino in Orcum demigrasset æternum!
Hæc audiebat & stupebat immotus
Miser: at susurro semimortuo tandem
Succlamat, Vxor. Fingit illa terreri:
» Papæ, reclamat, ô marite mi, viuis?
» Viuo, inquit, atri è faucibus redux lethi.
» Redúxne lethi faucibus, redux orco,
» O mi anime, pergit illa, redditus vitæ,
» Qui modò fuisti mortuissimus, purum
» Putum cadauer, moxque moxque humo dandum?

Per ille rimas linteas sono cæco,
›› Bona vxor, inquit, expedi, expedi vincla.
Vix vincla mulier explicarat, actutum
Ad astra palmas ille subrigens, votum
Ter & ter altum vouit, omne per vitam
Instar mephitis execrarier vinum,
Instarque mortis ostium Tabernarum,
(Ridebat vxor in sinu) & probus vitâ,
Morique timidus vixit, & stetit voto,
Adeoque posthac siccus, vt cui venter
Sesquipede longus, latus, altus extabat,
Fieret deinceps stramen & merus iuncus.
Istam lepôris ingenîque mercedem
Mulier recepit, perque pharmacum solers
Nouam maritus indolem, nouos mores.

Philippus Bonus pauperem seniculum ebrium diei vnius principem creat, & pauperem recreat.

Ex Ponti Heutheri lib. 4. Rer. Fland.

AMœniorem fabulam suis dedit
Brugis, ocello lætioris Flandriæ,
Philippus olim Belgici Princeps soli:
Benigna fama nomen indidit Bonus.
Cœnatus ibat cum suis inambulans
Fòrs conticinio noctis. En medio foro
Pauper seniculus cernitur iacens humi,
Altumque stertens, quique, dum somno graue
Cerebrum labascit, fronte tellurem ferit.
Hic de popinis in popinas influens

Adeò

Adcò capitulum turbine oppleràt suum
Vini meraci, aut candidæ cereuisiæ,
Vt spongiarum more, vel Germanicæ
Ad instar offæ, tótus intus ac foris
Maderet: & madebat in viciniâ,
Stomacho ciborum potuumque prodigo,
(Pace id legentum dixerim) mixtis mero
Tellus operta frustulis. Denso in luto
Hinc cento miseri pallij, tritissimus
Illinc galerus, isque de paleâ leui
Malesartus olim, iam foratus vndique.
 Risit Philippus ebrij spectaculo:
Risere comites, vellicantes hi manu,
Hi pede sepultum in sorde densatâ virum:
Nil excitari dormiens, nec id magè,
Immane quàm si marmor, aut rupes foret.
 Probare cupiens Dux reapse quàm sit hæc
Et vita somnus, & voluptas somnium;
„ Famuli, Philippus inquit, hinc modò ilicet
„ Cadauer istuc ebrij senis meas
„ Efferte in ædes, & meum in thalamum date.
 Corripitur vlnis famulitij (Truncus merus,
Nisi quod profundos sesquipede ronchos dabat)
Mustum propinans ore baiulis sui.
Ventum in penates. Cœptus est barbam, manus,
Et os lauari: more gliris ebrij
Dormit lauando: fœtidâ nudarier
Dein lacernâ, lineâ circumdari:
Nudando, vestiendo, stertit improbè.
Toro ille tandem Principis locarier,
Et in hoc sepulchro plumeo ignarus sui
Dormire Truncus in diei crastinæ

Manè calefactum. Iamque somnus viribus
Elumbis, animo cœperat frenos dare,
Ad se vt rediret: vt rediuit, ilicò
Tractare tacitus mollicella lintea,
» Et voce trepidus & manu, Quid hoc rei?
» Mehercle non est hic domesticus torus,
» Non est rigente cannabi textum toral,
» Quo media tegitur vxor, & medius ego.
Hæc ille secum mussitans & palpitans:
Vt nocte natus vnicâ fungus solet,
Suum stupere verticem & teres caput,
Adeò decoris intus opulentum strijs,
Hodieque it uris in catinos nobiles,
Quæ vile fuerant vespere hesterno lutum,
Haud aliter iste coniugis senex suæ,
Probeque miseri prandij hesterni memor,
(Quod aliorum fuerat) & cœnæ memor,
In quâ bibisset largiùs: fori, luti,
Somni, galeri, pallij nihil memor,
Stupefactus hæret, intuens conopei,
In quo recumbit, discolores stragulas,
Aulæa muris conspicatur vndique
Pensilia, iam tum pectinis Flandri decus.
Sensere vigiles semiexcitum senem.
Moxque referatâ ianuâ intrò se dare
Pueri ab honore plurimi, nudi caput,
Simulare docti (sic Philippus iusserat)
Ridere vetiti, ni medullitus velint
Ridere, pueri vapulones vt solent
Plorare Belgæ. Stat suum cunctis onus.
Hi ferre vestem plurimam, hi monilia,
Manibus lauandis alteri gutturnium.

Hos

Hos inter vnus lenè ſubmiſſo genu,
„ Manuque labris ſubditâ, Stratis, ait,
„ Magnanime Princeps, adlubet diſcedere?
„ En ſole calido medius irrepit dies,
„ Et foribus aſtant, qui ſalute Principem
„ Donare Proceres optimâ volunt ſuum.
Senex ſilenter hos & illos contuens,
Et hi ſilentes, ac ab ore penduli,
Si quando lubeat proloqui, aut nutum dare;
Dein oculorum grandioribus orbibus
„ Et horſum & horſum deſpicit. Quid hoc rei,
„ Quid hocce iuuenum eſt? quídve geſtant veſtium?
Nec credit aliud, quàm videre ſomnium.
Tandemque quidquid hîc ſit, aut non ſit rei,
Seruire decernit foro, & bono frui
Dum datur, & vti tam beato ſomnio.
Induere ſtatuit Principem, cum veſtibus,
Quas varia porrigebat aſtantûm manus,
Et oſtro, & auro, & margaritis fulgidas.
Induitur, vndâ ſuaue olente ſe lauit:
(Cuncta è latêbris Dux videt, ridet ſuis)
Speculumque formæ conſulendo iudicem,
Barbam retorquet hinc & hinc, & quà poteſt
Manu liquente, quidquid eſt ſuper comæ
Senilis, altùm ſurrigit. Spectabilem
Fuiſſe quondam crediđiſſes Principem,
Adeò venuſtè præferebat Principem.
Iurare non auſim tamen, quin pauperis
Subinde geſtus euolarit inſcio,
Dum nare cubitum tergit, aut caput ſcabit,
Vt bella quondam nuptui felis data,
Non potuit illa, mure viſo, protinus

Non

Non esse felis; sic Codrus, collo licet
Monile ferret aureum, Codrus fuit.
Quoties ephebi (gens iocari nescia,
Vbi se dat ansa; sed recentium modò
Memores minarum, quas Philippus) improbo
Prægnante risu, pectori adpressâ manu,
Labrisque morsis, vel dedêre lacrymas,
Vel se gradu tulêre præcipiti foras;
Vt hîc cachinnis liberalioribus
Noui salutem dedicarent Principis.
Intrare Proceres, eminusque flexili
Genu salutes exhibere Nobiles:
Solo ille nutu reddit. Inde splendidam
Itum est in Aulam, jam vocante prandio
Lautè parato, Hîc Principi Princeps locus,
Et in catino Principe escæ Principes,
Vinumque Princeps in cululllo Principe,
Potando, edendo seniculus Princeps erat.
Mensis remotis, itur in tripudia,
Aucupia, ludos, varia, quæ varius sibi
Extemporali suggerebat Principi,
Et quæ voluptas suggerebat asseclis.
Vbique latebris stat Philippus in suis,
Et inde pleno splene risui litat.
Pôst appetente sole vesperuginis,
Repetitur aula, parque cœna prandio,
Et hîc Ephebi nequiores Principi
Porgere vicissim crebriùs plenissima,
Et quæ bibones sternerent validissimos,
Obliuioso Massico carchesia,
Meusque Princeps Principaliter bibit,
Seu Chia, seu Falerna, seu Gazetica.

Iam

Iam nabat oculus: lingua de liris suis,
Et mens abibat de suis; redit sopor,
Qui pridianâ vesperâ medio foro
Mactarat hominem. Prodit è visorio
Tandem Philippus, ebrium mandat senem
Suis recondi vestibus, ferri foras,
Sublinier antè sordibus, nempe vt modò,
Qui fuerat, esset, seque nosset promptiùs.
Redditus eidem, quo recubuerat, loco,
Ronchos eosdem idem refundens in lutum,
Iacuit recliuis in diem pellucidam.
Tum lumen oculis quærere affrictis manu
Cœpit lutosâ, & ipse sese quærere.
O quisquis adstas (& Philippus miserat,
Præsens futuræ qui rei censor foret)
Vt hiscat ore, cernis? vt oculos rotet?
Vt pandat vlnas? vt relaxet tibias
Algore nocturno graues? circumspicit
Ambiguus oculis, hos dein figit solo.
Quid voluat animo, cernis? vt passim solent,
Quibus soporis somnijque cornea
Aula dedit epuli lautioris somnium;
Meminere primùm somniasse prosperum;
Et inde venis agilior sanguis salit:
Quid porrò rerum fuerit, id sunt nescij;
Sensim absque sensu se volûcris prandij
Imago læta reddit. Haud aliter senex,
Vbi regionum gentiumque non probè
Meminerat; & deinde meminerat, Ducis
Se nomen, aulam, prandium, ludos, aues
Captasse, & illud (lixa ceu patinas solet)
Animoque lambit & relambit somnium,

Domum-

Domumque remigrans, somnij vxorem sui
Vicumque totum complet ac viciniam.
O quisquis audis, disce quod præsens tibi
Res ipsa iurat, & Philippus in sene
Digito fidelis experimenti notat,
» Quàm vita somno desidi distet nihil,
» Et quàm voluptas somnio distet nihil.

Auis S. Anselmi precibus eripitur.

Ex Vita lib. 2.

PVer volucrem fortè compediuerat
Tenace visco, vel coarctatam in scrobe
Supereminenti tegulâ fefellerat.
Hanc deinde filo vinxerat reductili,
Vt abire patiens hac vel hac æthræ viâ,
Et nunc abitui, nunc receptui canens,
Cùm ferret animus, deuocaret in manum,
Caueæque condens in fenestratos lares,
In volupe lucis destinaret posteræ.
Emissa quoties, liberam sese rata,
Auis cachinnos edere & nunc altior
Ridere puerum voluit, at pedunculum
Vbi fune domino deprimi sensit suum,
Tum præ dolore, præ pudore lacrymans
Mutire tota, sed vicissim gaudia
Sua esse puero de reductâ sospite,
Reducemque digito mancipare præsidi.
Anselmus ille Cantuariæ pedo
Sacraque notus infulâ, fòrs hac iter,
Vinctæque pedicas conspicatus alitis,

» Vt

» Vt miseror, infit, vtque (sollicitus vicem
» Volantis huius mancipi) ereptam velim!
A mente votum, vox ab ore, fluxerant;
En sponte ruptus funis in partes abit,
Abit & in auras ales, in lacrymas puer
Abit solutus, & nihil nisi hinc manu
Filum superstes eiulans refert domum.
Sublimis illa, fune nota pendulo,
Supraque volitans, reddit Anselmo bonas
Sonore grates; reddit & puero suas
Cum felle sannas, parque rediuiuum pari.
At inde comites ille versus ad suos,
» Vt ploro (rursus infit) vt miseror vicem
» Miserrimorum funditus mortalium,
» Quos ater auceps Tartari vt volucres habet:
» Quos mille laqueis, mille captatos plagis
» Vbi fune longo vinxit Assuetudinis;
» Frugi esse cupiant, esto, se tollant humo,
» Cæloque propius aduolare gestiant,
» Melioris auræ remiges; frustrà omnia:
» Ni facilis assit, vincla qui incîdat Deus,
» Ilicet eodem retium, eodem sordium
Fœdè reditur, & manetur fœdius.
Et ille quondam sic Beatus ad suos.
Ergo agite stultis, quotquot obstrictos habet
Aut impetigo gloriæ, aut libidinis,
Aut æstus iræ, aut pertinax opum sitis,
Aut deses animi torpor, aut venter popa,
Aut viperinæ vulnus inuidentiæ,
(His namque pedicis Cerberaster septiceps,
Cui mens in ictu semper est, vos distinet)
Mora nulla, dante, qui potest & vult, Deo,

Isthæc

Isthæc agite-dum dissipate stirpitus
Malenata vincla, exite vires viribus:
Et facite, qui vos crebriùs fecit iocum,
Vulturius ille mango se risum vt fleat.

Sub S. Anselmi equum lepusculus confugit.

Ex eiusdem Vitæ lib. 2.

NIctante Phœbo, iamque noctis in sinu
Incunte somnos, & sibi torum in rubo
Ramosiore strauerat lepusculus.
Indormiebat (vt solent) lenissimùm,
Solis ocellis peruigil, donec bonæ
Lucida diei tela Sol oriens dedit.
Hunc vis odora transmeantium canum
Repentè sensit; ilicet baubatibus
Astra ferientes, naribus vestigia
Leporina lustrant. Sensit & rubi aduena
Suam sibi arcem flebili obsidio premi,
Eamque muris hac & illac peruiam;
Nec intus arma, nec foris spem subsidî.
In pedibus olli sola vita, sola vis,
Et in propinquo specula: haud enim procul
Anselmus equitans antecesserat suis.
Lepus ergo tacitus, perque posticum rubi
Pernice saltu rectâ ad Anselmum viâ.
Olfecit hostis, vidit, & celer gradu
Sequitur fugacem gens volucripes canum.
Iam pænè caudam de molossis quispiam
Captabat ore, quando munitissimum

Nactus

Nactus hic asylon, desijt fugæ, stetit,
Immotus hostes risit (vt miles solet
Si quando deprehensus, & tandem fugâ
Elapsus hosti est) sic inexsuperabili
Velut arce tutus, sub caballo Præsulis
Restat timoris integer lepusculus.
Inde famulorum turma, spe leporem vorans,
Quidquid molossûm, quidquid est venaticûm,
Increpitat ore, virgulâ, manu, pede,
Proritat, vrget. Ast aliud illi nihil,
Quàm circumerrant, & salutant hospitem
Caudâ benignâ, catulus vt catulum solet.
Vt crebra, sæclis Martyrum feracibus,
Missa in beatos cælitum Testes fera,
Statu iubarum & faucium voragine,
Gelidi Theatra tota complebat metus,
Iam iamque vastum seminudos in viros
Datura dentem, sed propinquans ilicò
Rabiem cruentam sopiebat cernua,
Pedibusque sanctis osculum dabat cicur;
Haud secùs inertes, & canum oblitæ canes,
Nil dentis ausæ, molliores accubant
Ipso capillo leporis. A cane condito
Nemo canis vsquam tam fuit lepori pius;
A lepore primo nemo tam impauidus lepus;
Sonipedis inter tibias, periculi
Securus, oculo spectat intrepido canes,
Sibique facilis patitur adlambi pedes.
Equo retento stabat Anselmus, suis
Dispar comitibus, altiora peruolans,
Animoque flecti cereus, leporis metum
„ Pænè ipse metuens, Sic (ait) Stygiæ canes
„ Abitu-

„ Abiturientem de vepreto corporis
„ Cingunt animulam, ſic vorare geſtiunt.
Dein minante dexterâ terrens canes,
„ Famuloſque nutu commonens: Abi citus,
„ Abi, inquit & te, quidquid adſtantes hient,
„ In denſa conde nemora, mi lepuſcule.
Dixerat. Ab arce victor actutum ſuâ
Lepus abit, abeunt à lepore victi canes,
Canumque domini. Sed fuit victoriæ
Anſelmus auctor, auctor Anſelmo Deus.

Mirus euentus; Capra à lupo raptanda cornua in eius fauces ingerit, ambo in equi tergum delabuntur.

Ex relatu viri probi.

IN Lotaringis nata lis ſuper lupo eſt,
Quem capra cepit, quem caballus in lares
Detulit heriles. Lector Arbiter ſede.
Dum capra colle de ſupino tonſiles
Auida geniſtas, aut cynorrhodon vorat,
Nunc pede ſiniſtro, nunc adulta dextero;
En triduanâ ſemiroſus inediâ
Aſtat inopinæ proximus frater lupus.
Quid illa faciat, quóve proripiat gradum?
Nec via, nec hora, nec modus ſuper fugæ eſt;
Fugêre ſociæ, fugit & gregis caper,
Procul & in herbâ voluitur caprarius,
Suos amores aut amicos concinens.
Seſquipede dentes pandit irruens lupus
„ Iam iamque. Quanto pollet ingenio Timor?
„ Quas

as non dat alas,dum licet:dum non licet,
iæ non miniſtrat arma? teſtis hæc mea
pella,cui mox condidit Neceſſitas
umoſa telum. Crederes? faſtigia
apitis bicornis iactat in fauces lupi,
: vtrimque malas hoc veruto perfodit.
Incogitatis ambo ſic nexi plagis,
apræ ille ramis,iſta mandibulis lupi,
læſere primùm. Conijce,ô Lector bone,
Quid fuerit animi ſeu capellæ ſeu lupo?
Hic præ ſtupore,non ſecus quàm ſi ſibi
incipite creſſent cornua (& iam creuerant)
Et præ dolore ſauciarum faucium,
Oculos rotare,nil moueri,vel leues
Edere vlulatus impos. Aſt hirquis capra
Iam dextra iam ſiniſtra contuentibus
Obliqua,barbam purpuraſcentem videns
Atro cruore,verita,ne mox in lupi
Trahatur aluum tota,retroflectere:
Et hanc volens nolenſque captiuam ſequi
Captiuus ille, donec à veſtigio
Fallente lapſi,ſic catenati ruunt
De colle pariter,nunc lupum ſuper capra,
Vice reuolutâ nunc capram ſuper lupus,
Nunc,vt cylindrus,recta facti linea
Parili rotatu ad vallis ima defluunt.
Fugâ ſuarum territus caprarius,
Oculiſque mirum conſpicatus voluolum,
Sollicitus hæret,quid caprâ fiet ſuâ;
» Aduolat,& acri voce conclamat,Lupum ô,
» Lupum ô ſodales. Interim res altera
Aliud ſtuporis indidit. Laſciuiens

In

In valle fors caballus alti graminis
Gaudebat esu, quando præceps impetus
Capram lupumque iecit (ita casus tulit)
In tergum equinum; stupidus istoc ponderis,
Et tam propinqui trepidus aspectu lupi,
Equus in heriles ilicet ruit fores,
Heroque prædam fortuitam destinat.
Hinc lupus & inde capra stabant pensiles,
Vt in macellum par solet nefrendium
Gestare Corydon; Traditur lupus neci,
Suoque capra redditur Caprario,
Exanguis, algens, attonita si vmquam fuit.
Non inficetam fortè credens fabulam,
Fœtum Poëtæ dicet ætas postera.
Sed gesta res est; auctor est mihi, fidem
Cui derogare non sit infimum scelus.
Ardet etiamnum iurgium indiremptile, &
Lis magna, prædam dum Caprarius suam,
Quam capra cepit; alter astruit suam,
Quam suus in ædes intulit suas equus.
Vbique casus, non vbique ius valet.
Dic Arbiter, vtri deuoueres hunc lupum?

Pueri duo cum IESV *puero ientant.*

Ex Ant. Senen. Chronic. anno 1240.

IN Santareno Lusitaniæ solo,
Bernardus olim Dominici è cœtu fuit,
Vir, si quis illos inter, integerrimus.
Is puerulorum par docile, blandum, innocens,
Iam pia docebat Capita, iam mores probos,
Et

Cultiorum litterarum exordia,
l & miniſtros eſſe TER SANCTAE REI
Ii à Magiſtro ſtare, iuſſi flectere,
:ulos in aram fixi, & aures in ſacra
:ſponſa vigiles eſſe, dum Myſtes facit,
odeſtiores ipsâ erant modeſtiâ.
aud vt mei ſubinde diſcipuli ſolent,
ui, ſi vel atomus medius Aedem peruolet,
ı muſca pulſet ſibilo templi fores,
Iuc animum & oculum & ora vertunt ilicò.
Sacris peractis, à Magiſtro fas erat,
amem vt leuarent, in propinquum tendere
Pueris ſacellum cum caniſtro, quod ſua
Vtrique mater, manè primo, farſerat
Pomo, vel vuis, caſeóve, ficubúſve,
Et pane dulciario: nec defuit
His tenue villum, plurimâ dilutum aquâ
In ventrioſis conditum cucurbitis.
Ergo in ſedili conſidere ligneo,
Et benè cibo, benè potui adprecarier,
Suamque partiri alter alteri dapem:
Et quæ premebat, vt fugaretur ſitis,
Bombos viciſſim haurire de laguncul is.
Iam ſæpè id epuli ſtruxerant eodem loci,
Vbi ara ſtabat peruetus, & arâ ſuper
Haud indecora ſtatua Magnæ Virginis,
Solio ſedentis arduo, cuius puer
Molli recumbens in ſinu, emiſſitio
Spectabat oculo ferculum ientantium.
Hunc penitùs eſurire iuraſſes probè.
Non eſuribat? En tibi cùm paruuli
Solitâ fruuntur corbulæ annonâ, ſinum

Expandit icon Mater; icon Filius
Molliter in aram, in humum deinde labitur,
Adit, & ſalute hos donat aduentoriâ;
Olli redonant, nec rogati, protinus
Nouo propinant aduenæ; pomum & nuces
Et ceraſa & vuas porrigunt largâ manu;
Excipit IESVS dona lato ſupparo,
Nec refugit eſitare cum pueris puer,
Et quid lagena ferret, experirier.
Demum caniſtro vacuo & expunctâ fame,
Valedicto in aram tollitur IESVS, & hinc
In Matris vlnas, in ſuam hi ſeſe domum.
Reditur illuc poſtero tamen die;
Sed & diebus poſteri ſequacibus,
Aſſiduus epulo ſponte Chriſtus eſt ſuâ
Delapſus arâ. Rem diu taciti premunt;
Sic ipſa fòrs iubebat Innocentia.
Tandem Magiſtro, quæ geruntur, detegunt,
Puerumque memorant, ore formoſiſſimo,
Deſertâ in alto Matre, cum ientantibus
Ientare ſolitum, qui nec hilum de ſuo
Huc vſque tulerit. Et ſtupore & gaudio
Bernardus hæret; hæc deinde illos iubet
Verba dare puero, ſi rediret, Hoſpiti.
„ Mi Domine, menſes nunc ïere pluſculi
„ Cùm (pace dictum ſit tuâ) ad noſtram frequens
„ Conuiua menſam ventitas, nec ſymbolum
„ Exile confers vel ſemel: ſaltem è tuâ
„ Huc infer eſcâ bucceam; ni mauelis
„ Nos & Magiſtrum (quod præoptamus) tuo
„ Felicitare prandio; iſtuc vt velis,
Is te rogatum voluit, & nos ſupplices.

Verba

Verba hæc Magiſtri memoriæ inſculpunt ſuæ.
Redit reductâ cum die ientatio,
Nec fuit IESVS immemor reuertier,
Lætus alienâ victitare de quadrâ.
Abituriebat iam ſatur, quando puer
Manicâ prehenſum affatur illis vocibus,
Quas ſibi Magiſter pridie expediuerat.
Arriſit innocentulis Puer Deus.
» Macti eſte (pueris inquit) innocentia,
» Quæ mihi in amore eſt ac honore plurimo,
» Vobis, amicum vt par rependam, ſpondeo,
» Cùm ſacra fuerit Dominici Aſcensûs dies,
» Vos & Magiſtrum prandij volo mei
» Adeſſe ſocios. hæc Magiſtro reddite.
Lætitia pueris mira pectus impetit,
Vt audiere, & aduolantes ad ſuum,
„ Magiſter, aiunt, ô Magiſter, aureus
„ Puellus ille, quem videmus hoſpitem &
„ Quotidiano conuenam ientaculo,
„ Vti eſt rogatus, pellubenter in ſuum
„ Inuitat ille te, ille nos triclinium,
„ Mox appetente Dominici Aſcensûs die.
Lethum imminere præcipit ſibi & ſuis
Bernardus: ergo ſeſe vt illi mox parent,
(Et ſeipſe morti deſtinatæ comparans)
Edicit augur optimus, ſecumque ait
Grande ſubituros hinc breuî Palatium,
Cui laqueat aurum eſt, murus aurum eſt, ipſaque
Humus adamante ſtrata, plus Phœbo micat.
Vbi genialis menſa lauta, ſplendida,
Regemque Pontificemque conuiuas habet.
Pueris ſalibant exta ſeſquipedes duos,

Præ ſpebus amplis tam beati prandij.
Et exilibat lingua, cùm domi volunt
Noluntque matri prodere arcanum ſuæ.
Tacuere, veriti ne moras innecteret.
Tandem ergo præſtituta promiſſo dies
Affulſit; adſunt Pueruli, loti manus,
Et ora loti, & veſte belli candidâ:
Myſtes ad eamdem ritè Bernardus ſacris
Operatur Aram: vtrimque flexi ſupplicem
Miſſæ adminiſtri poplitem, precarios
Orbes volutant, & ſubinde in Hoſpitem
Gremio Parentis incubantem ſubrigunt
Lenes ocellos, atque promiſſi monent.
Annuere bellus Puſio è Matris ſinu,
Viſuſque commonere vt accincti forent,
Bernardus animo ſtans anhelo ad ſidera,
Vix ITE dixit, vixque MISSA EST victima,
Cùm lenis omnes ſomnus abreptos humi
Reclinat, atque hinc prandio æterno beat;
Nam morte placidâ diſſoluti, illò volant,
Agnus vbi Menſa eſt, & Miniſter, & Dapes.
Inuideo (condonate liuori meo)
Tibi Magiſter & tuis id Prandium;
Sed inuidere (parcite errori meo.)
Ego antè vobis debui Innocentiam,
O expetendæ ſortis Innocentiam!

Longo-

ngobardus mutam vetulam dæmonem esse ratus, eam aggreditur, & prosternit, vt olim S. Margareta dæmonem.

Ex Petr. Rausani hist. lib. 35.

Audes Marinæ (Margaretam dicimus)
Podio perorans è sacro Vincentius,
la, inquiebat, belluæ illacrymabili,
Quæ se videndam dederat horrendo & truce
raconis habitu iamque fauces panderat,
t in ima raperet deuoratam viscera)
nimosa ventrem vorticosum diffidit,
pe sacro-sanctæ tesseræ & fidei manu.
Hæc ipse. Stabat ore patulo quispiam
is natus Alpes iuuenis, in paucis pius,
Piæque lectionis auditor frequens;
Sed Longobardo simplici, ac improuido,
Salis vna mica deerat, ac prudentiæ;
O quàm (profando tacitus ac solus sibi)
Si stygius ille Furcifer sese mihi
Daret intuendum, vt Margaretæ olim dedit!
Quàm luculentè hunc pinserem, tergum darem
Elumbe, caudam effringerem, obtererem caput!
Dixerat, & in præalta sese gramina
Prati propinqui contulit: flexo hîc genu
Ad sepis vmbram, cœpit ardentissima
In vota ferri, rem velut deposceret,
Quâ cardo volueretur octaui poli,
Deum, Deoque quotquot adsunt Cælites
Per supera rogitans omnia, & sacra omnia,

Vt cum nefasto fas sit hoste congredi.
Perdiderat horæ plus satis, quando tibi en
Vetula è Magistri villici famulitio
Inire pratum, falce (quâ fœnum secet,
Et delicatum prandium bobus paret,)
Armata dextram, sed sinistram vinculo,
Decrepita, capite tremula, vultu lurida,
Et sempiterna erat catarrhorum penus,
Oculis rubricâ depluentibus, genâ
Vtrimque rugis exaratâ funditus.
Dens vnus illi & vnicus, & ingens fuit,
Medioque labio, ceu proboscis emicans.
Ex quo ipsa vitam viuere hanc occœperat,
Audire voces impos, impos reddere,
Solis locuta gestuosis nutibus.
Fors &, Sinarum more, prolixissimos
Et ad scabendam duriùs duram cutem,
Aluerat vngues, & comam non compserat,
Passa fluitare & hinc & hinc: verbo vnico,
Senile monstrum. Iam precanti proxima,
Tussibat illa tussim anus veterrimæ,
(Vt erat) eoque grandiùs, quò surda erat.
Audire Iuuenis, intueri, surgere,
Credere receptas & ratas Cælo preces,
Et adesse iussum dæmonem certamini,
„ Ades, ades, inquit, Hostis optatissime;
„ Dolos inertes consuis, frustrà hanc anum
„ Mentiris: ego te ex vnguibus probissimè
„ Noui Leonem, nec tuas vires pili
„ Facio, nec artes æstimo caudâ allij.
„ Mecum est ab alto Numen, aduorsum tibi.
Pugno ergo pruriente se dat obuium,

rat lacertos,pileum fronti apprimit,
;nacium inſtar paruulorum.Protinus
ro-Muta-cedit,vocibuſque inconditis
ıeis,ſui in olympo gutturis,muti ſolent
ınire,more vulpium)quâ vi licet,
enem irruentem territat,falcem vibrat
pida, ſed ille pallij excuſſu leui
em minantis è manu mox eripit:
n crine raptam ſordido affligens ſolo,
riumphe!vicimus,ait,vicimus:
dum Tubicines,agite Tympanotribæ.
.doritur ergo bellus Entellam Dares,
lit miſellam falce,calce proterit,
eratque denſis ictibus,onerat probris:
:rator(aiens)ſycophanta,proditor,
inuiſus,improuiſus,inſidias,dolos,
.amna nobis non opina parturis,
ifuge nebulo,nunc ego te,nunc ego
ım & videntem,quo mereris & decet,
ıihi ſalubris fuerit,excipiam modo.
Iæc ille:at illa quo poteſt,hoſtem ſuo
ificat vngue,crura dente vellicat,
nguam inanem ventilâns,opem rogat,
m propinquos ruſticos:adſunt citi,
uulnerantem ſemouent,mutam erigunt,
ipſa morte iam fatiſcit proximâ.
incla compingunt reum,de capite agunt,
ıeſſuiſſet falce mors illum ſuâ,
falce Vetulam ad limen Orci duxerat,
mox eôdem conuolans Ferrerius,
ıus ad aſtra ſupplices dans,& preces,
dediſſet Mutæ,& inſolitâ ſibi

 Eluere

Eluere sordes voce. Fatur, eluit,
Et moritur. Exin prœlij infausti pugil
Edoctus alio ex vngue nosse dæmonem,
Suam professus candidè imprudentiam,
Redire finitur Longobardos ad suos,
Nec vltrà in Orci filios pugnaturit.
„ Mens fraudis expers plurimis fraudi fuit,
„ Dum nimius illam zelus in præceps tulit.

Joannes Conaxa liberos ingratos moriens bellè ludit, clauam horridam ijs in arcâ relinquens, loco pecuniæ.

Ex Collect. Specul.

Conaxa, lepidum nomen, & lepidum caput,
Cetera opulentus, & Senator oppidi,
Dederat honesto nuptui gnatas duas,
Generosque grandi dote coniugauerat,
Eoque amoris seu furoris prodigi
Insanus ierat, liberorum amantior,
Vt, quidquid æris intus, agrorum foris,
Aut frugum in amplis possidebat horreis,
Id Filiarum plueret in vastos sinus.
Et erant petaces Filiæ, si quid lare
Foret in paterno, quod sitibundis probè
Rideret oculis: vixque dimidiam is sibi
Seruabat alam, si nefrendem assauerat.
Sed & vicissim à liberis vocarier
Nunc ad profana, ad sacra nunc Encænia,
Vel ad exta delibanda mactati bouis,
Aut prolis in lucem datæ repotia,

Haud

aud abſque lucro; namque captus his plagis
onaxa natus aptus emulgerier,
ırabat (ædes vt repetierat ſuas)
m vaſa tranſuehenda, iam tapetia,
iaque pretij haud infimi cimelia,
l ſanguiſugas deſtinanda Filias.
Vbi Dare tandem & Commodare mortuũ eſt,
oi & Conaxæ de-pecu-fuit-nia,
bi frixa miſero rapa vix cibus fuit,
x tenuis vnda potus, ex illo à Patre
ɔeſſe Generi, non videri Filiæ:
ȷue ipſe natos ſponte viſeret ſuâ,
x pænè noſci, vix ſalutari Pater:
quando perdix circumerrabat foco,
:l ouillus armus his futurus prandium;
e fortè patrios inuolarent in oculos,
. derepentè ſubtrahi ipſo cum veru.
Nidore ſolo paſtus in ſuum redux
ɔnaxa limen, hinc & in ſeſe redux
ɛpit profari, & ipſe ſeſe carpere:
ın' Conaxa? ſic tibi tui os ſublinunt,
: depilato, deglabrato ſtirpitus?
Filiarum eſt talio in Patrem pium,
iſta noſtræ lucra prodigentiæ?
Dixerat, & vnguem, dente viuaciſſimo,
:xtri & ſiniſtri pollicis momorderat.
ox abſanrico dite, clàm ſuis, ſibi
ılenta plura mutua expoſcit, die
ddenda ſpondens tertio: dein liberos
ı inire ſecum cœnulam velint, rogat.
ɔn abnuêre. cœnitatur. At breui
ulis remotis, in ſuum ſe abdens Pater

 Con-

Conclaue,nummos ilicet grandi ſono
Superque mensâ altiſſimas auri ſtrues
Agitare ſtudio,ducere & reducere
Hinc inde ſummas: nec diu,quin concitæ
Illò aduolarent cum maritis Filiæ,
Aurem admouerent curioſam ianuæ,
Oculumque rimis,quâ intueri fas erat.
" Papæ! (ſuſurro muſſitabant mutuo,
Crebrumque iunctis manibus affrictum dabant)
" Tantúmne reliqui noſter in loculis habet?
" Latere tamdiu potuit aurum mucidum?
" Neque naris illuc noſtra ſe introrſum dedit,
" Neque manus vſque huc? Pergit inter hæc bonus
Euclio minutos è bilance expendere,
Vel adulterinos cote prodere aureos.
Tandem volutus atque reuolutus diu
Conditur in arcam Plutus & grandem & grauem.
Et hoc labore feſſus,abſterſâ manu
Tractato ab auro liuidâ,egreditur ſenex.
Nil ſcire ſimulant Filiæ,& lætæ domum,
Dato Parenti molliuſculo vale.
Protinus amico mutuos,& clàm,refert
Conaxa nummos,interim ſeruat domi
Caſtè & pudicè,peſſulo ſeptemplici
Arcam obſeratam,ſed pecuniæ vicem
Aliud ſubibat ponderis. Nocte exule,
Vix manè ſeſe poſtero induerat dies,
En tibi (cadauer viſere vt corui ſolent
Furis,Pelaſgam in litteram recèns dati,)
Venire generi,conuenire Filiæ,
Patri ſalutes adprecari melleas,
Et quî valeret,quid iuberet,poſcere.

Videt,

Videt, audit & susurrat, & quassans caput,
Velut senili collabascat pondere,
In tacita mutus verba prorumpit sibi,
„ Non hæ tibi, Conaxa, sed Cani tuo
„ Dantur salutes, exhibentur gratiæ.
„ Attamen abundè hinc & tibi posthac erit
„ (Vt se ista dant initia) lautiusculè.
Neque vanus Augur aut aruspex is fuit:
Certare deinceps Filiæ, vtra promptiùs
Maiora quà valore, quà frequentiâ
Rediuiui amoris in Patrem signa ederet.
Hinc blandientûm more, nunc palpum dare,
Nunc è paternâ veste floccos demere:
Et si deessent, qui deessent, demere:
Frontem Parentis si momordisset culex,
Plorare dociles, condolere Filiæ,
Ac si colubri dente saucius foret.
Si fortè siccum flueret in guttur seni
Leuis catarrhus, qui cicadam haud pungeret,
Suspiriosæ, lacrymosæ Filiæ
Quos non metus, quos non dolores exhibent?
Hæc ille natis iam benignioribus:
„ Audite Natæ vosque Natarum viri,
„ Qui me parentem, pignora vt decet, colent,
„ Vsque ad supremi funeris suspiria;
„ Hos ego. Talenta plura dudum condidi:
„ Intacta vobis seruo, si. (Tacitus stetit.)
„ Vt proinde felix & salutiferum siet,
„ Dum valeo, vitam dum superstes haurio,
„ Volo in sacrificos & sacras superis domos
„ Vestro Talentum ex ære dispertirier:
„ Tantumdem honestis inopibus, quos limina

 „ Aliena

,, Aliena terere haud fert pudor,datum volo.
Proles capessunt imperata:creditus
Dormire in arcâ Plutus hos vigiles facit.
Nam pro paternâ seu salute,seu exitu
(Qui sæpe votis est in auidioribus)
Fundenda ad aras vota curant impigri,
Donaque in egenos copiosiùs serunt.
Tandem Conaxam letifer morbus dedit
Fato propinquum:voce tunc emortuâ,
Suis supremis consulens,hæc ad suos:
,, Audite Soboles,infit,hæc iussa vltima:
,, Dum mors aristas falce messuerit meas,
,, Volo meorum more maiorum,mihi
,, Funebria pompâ iusta magnificâ dari,
,, Amplissimisque,quà liceat,impendijs.
,, Sumptus rependet,quam videtis lectulo
,, Arcam accubantem.Dixit,& fessum caput
Ipsa inter ora Prolium letho dedit.
Lacrymas dedere Filiæ,quas liberi
Ingrati & auidi & inuerecundi solent.
Euanuere pennulâ velociùs,
Bullaque quam molitur è conchâ puer.
Nec tamen omissa mortuo solemnia;
Stetere magno.Post parentales dapes,
Et iusta demum persoluta,curritur
Ad Arcam,ad Arcam,& panditur:Risus bone!
Non inerat oboli decima,non teruncij,
Sed claua multinodis,ingens,horrida,
Quæ ictu obruisset vnico boues duos.
Olli character vncialis inditus
Mentem supremam & verba testantis dabat:
Quisquis, seipse negligens, Proles amat

Aeque

Aequo tenerius, ac honesto largius,
Ex asseis heres huius esto Peculij.
Ita do, ita lego, ita testor, hac mens vltima.
Creuere nasi heredibus palmos decem.
» Si sapitis, hinc vos sapite Proles improbæ,
» Senium Parentum colite, quo par est, modo:
» Si sapitis, hinc & sapite, Patres prodigi,
» Frænos amori ponite, & donis modum.

Hæreticus Minister dum procatur, à Matronâ pudicâ venum exponitur in Arcâ, in quâ seipse condiderat, ne deprehenderetur.

Ex Histor. impressâ Agen. 1615.

LVbens ministris vellico par aurium,
Namque hi Magistri prurientes auribus,
Has sibi fricari gestiunt, ritu canum,
Aut sibimet affricare, ritu felium.
Iuuenis Minister vrbe Cleraci fuit;
Sed (quod dolendum, quod pudendum est) is simul
Procus erat & Minister, vt multi solent:
Parcite, quaternas si decusso litteras;
Porcus erat, & Minister, vt plures solent,
Nati salacis in volutabro suis.
Quacumque gressum ferret hic Veneris nepos,
Suæ ministros impigros pruriginis
Oculos Minister euibrabat in obuias,
Aliena coniux seu foret, seu non foret;
Prurigo totus, palea totus arida,
Et stupa totus, natus vri & vrere,
Si tenuis olli flamma fieret obuia.

Si fora ſubiret, aut obiret compita,
Crepidâ hinniente, lubricante tibiâ,
Criſpante naſo, ſurrigente palpebrâ,
Oculos natantes in libidinis luto,
Petulcus euibrabat in pulcherrimas.
Si primus Helenas inter, aut Lucretias,
(Quod crebriùs ſolebat) inter Thaidas
Sederet, epuli modiperator ſplendidi,
Petulcus euibrabat in pulcherrimas.
Si fors ab alto fulminaret pulpito,
Et has & illas ſeſſitantes cerneret,
Comptas, venuſtas, & medullarum faces:
Hic ore fluitans, verba contortuplicans,
Perdens memoriæ miſer epiſtomium ſuæ,
Petulcus euibrabat in pulcherrimas.
Si cœna fieret anti-ſacro-ſanctiſſima,
Vbi à Miniſtro porgitur panis merus,
(Qui ſi ſuperſit, & datur cani merus)
Vinumque, quod bibacibus placet, merum,
Petulcus euibrabat in pulcherrimas,
Et diu ſinebat eliquari cantharum,
Diu decoras vt tueri ius foret.
Si Caia Caio nuberet formoſula,
Ipſo, vt decebat, pronubo, quibus ignibus
Ardebat intus Aetna, fumabat foris.
Vnam ille reliquas inter arſit: hæc erat
Pudica coniux ciuis haud gregarij:
Quem ſi peregrè abiſſe perſentiſceret
Odorus auceps; hamus, hamus ilicet
Iam litteris in promptu erat, iam floſculis,
Varioque adortus miſſili munuſculo
Intaminatam pectoris caſti niuem,

Dum

Dum millies procatur importuniùs,
Dumque vt columba circumerrat, millies
Tulit repulsam, sensit & crepidam sibi
In vtramque narim non semel compingier.
Molestiarum deuorarat plus satis
Matrona; damnum metuit, & suæ vicem
Sollicita famæ, coniugi tandem refert,
Quas hic familiæ spurcus insidias struat,
Quas & pudori machinas cudat suo.
Frendet Maritus, & vicissim moliens
Suum Ministro dedecus, suam fabam,
Per ima cuncta iurat, admorso labro,
„ Non sic abibis, ô adulterum Pecus,
„ Non sic abibis. Ergo præproperus equo
Abire fingit vrbe, mandat coniugi
Si fòrs Magister Ganeo repedauerit,
In intimum vt cubile deducat procum.
Abiens equo vix calcar admorat suo,
En tibi petulcus aduolat, pulsat fores,
Matrona pandit, ridet, ingredi sinit,
Lares in imos abdit, & subter toro,
Donec profunda sola nox esset vigil.
Haud mora; Marito sic volente, satellites
(Ac si seuerus destinasset creditor)
Irruere, conclamare, scrutari omnia,
Aeris alieni gratiâ, quod soluier
Non nisi sub hastâ spes sit in medio foro.
Mulier sonorâ voce, cum harpagonibus
Iurgare simulat, & Vir execrarier.
Audit Minister, & propinquus, & tremens
Sudat sub ipso deprehendendus toro,
Ni fugiat. Eheu, fugere ne vel specula est.

Postica

Postica non est ianua, haud est angulus,
Quò se abdat, vllus, & fenestra est altior,
Nec in caminum scandere misero licet,
Acuum nigellis institoribus vt licet;
Illos pater Sabaudus à puero docet
Et esse turpes, & caminos verrere.
Quid agat? Asylum restat vnum & vnicum:
Erat Arca scrutis hîc referta sordidis:
Huc ille quantus quantus est, sese infodit,
Thesaurus ingens sordium; silentio
Tum claudit Arcam; & spiritum & tussim premit;
Scilicet in antro hoc non suo mus tutus est.
„ Satelles intrat, En supellex, en, ait,
„ Venalis Arca, deuehatur in forum,
„ Et creditori mitigando erit satis.
Quid fuerit animi, quid pudoris, quid metus
Meo Ministro, suspicarier licet.
Gallina vulpes inter vt pallet duas,
Interque feles musculus, velut duos
Inter columba vultures, inter lupos
Ouicula totidem, quodque trepidandum magis,
Inter duos vt rusticus causitrahos:
Sic tremulus inter baiulos & pensilis
Minister horret; tantus hunc vrit metus,
Vt oua pressa pectori, possent coqui.
Tandem emouetur (quod cadat feliciter)
Venumque fertur in fori meditullium.
Adeste, Adeste, conuenæ, aduenæ, incolæ.
Illicò forenses deambulones, aucupes
Rerum nouarum, nuntiorum haruspices,
Sed & propolæ, ad hoc Cloacinæ Deæ
„ Nobile sacellum conuolant. Quid, inquiunt,

„ Hæc

» Hæc longa, picta, vincta ferro candido,
» Et grauior Arca? Credite (aiunt baiuli
Docti creare & prorogare fabulam)
» Vendibilis Arca est, & quod intus delitet;
» In hac volumen integrum & pulcherrimum est,
» Quod noster heros Plessius, Samurij
» Iniquitatis edidit Mysterium.
» In hac Geneuæ castitas, velut in lare
» Residet paterno. Quidquid hîc tandem fiet,
» Non pote minoris vendier obolis tribus.
Risere ciues, hos iocarier rati.
Pandatur ergo, clamitant, & panditur;
Arcâ patente, vidit vt malum diem
Occultus inter scruta vespertilio,
Os manibus abdit: ast vbi satellites
Ab ore semôrunt manus, Dominum vident,
Dominum Ministrum, longam in Arcâ noctuam.
Tum Stupor, & Ira, & Risus, & iustus Dolor,
Suam dederunt in foro comœdiam.
Pudore sed enim Prologo, Epilogo Infamiâ.
Vt cuique subitò libuit aspectantium,
Pars magna risu diffluunt, pars lacrymis;
Ea feminarum laus fuit lugentium
Luctum Ministri: pars in iras feruidi
Pænè in capillos, inque barbam proruunt.
Sunt, qui imprecentur impudico tergori
Benè macerati viminis centum doses,
Mersamque vellent in lacu Gebennico
Et Arcam, & Arcæ pondus. Extemplò foras
Is in pedes, & se in tabernam proximam,
Hoc expeditus è sepulcro, proripit.
Delata res est ad patres Gebennicos.

Mox

Mox ad lucernam nocte(ne sciret dies,)
Coacta synodus: vt fit,in varias itum est.
Fuere pœnas qui horridas decernerent:
His zelus ambedebat vltimam cutem.
Sed mulus vt mulum scabit: synedrij
Stetit à Ministro mollior sententia.
Iubènt carere publicò,gestæ rei
Donèc sepulta fama conquiesceret,
Obliuijque sese in Arcam conderet.
Sed ea recondi,sed latere noluit,
Solita volare:& euolans Arcâ,super
Diæ Memoriæ hæc sacra fixit carmina:
Viator Hugonota,si nescis,tuo
Fraterculorum de Ministrorum grege
Hîc iacuit,hîc se nuper ipse sepelijt.
Dein mancipij instar ære venalis fuit
Bonus Anti-Ioseph;nomen haud aliud scio,
Et vt liquidiùs scire me contingeret,
Non aliud illi nomen inderem lubens,
Nam Patriarchæ Ioseph Antypus fuit.
Vterque venum traditus;sed pertinax
Istum Libido,Liuor illum vendidit.
Huic igitur apprecare,si vales,benè:
Hortare,si non castus,vt cautus fiet.
Dic veteris Arcæ sit memor,metuens nouæ.

Ere-

Eremita felem ſuum teneriùs amans, ac deinde præ ſe D. Baſilium magnificè ſacris operantem deſpiciens, ab Angelo corripitur.

Ex Marulo.

HAud malus eremi cultor olim olim fuit,
Qui iam ſenectam totus exſucco in ſolo
Triuerat ab annis inde mollioribus.
Bonus ille Cucuphas (fortè nomen hoc erat)
Felem ſenex amabat, vt ciuem ſuum,
Fallor, ſenex amabat, vt prolem ſuam
Teneriùs æquo (& fallor) æquo ſtultiùs.
Is ſæpè totos biſpuer vetulus dies
Felem fouebat in ſinu, nunc blandiens,
Nunc ore gelidum ſpiritum afflans auribus,
Productiores myſtacas nunc vellicans,
Donec moleſti beſtia impatiens ioci,
Suum μιαῦ voce Graiâ emitteret,
Aut in ſenili dexterâ vngue ſcriberet.
Si propter ignem iuſculum, ſi oluſculum
Sibi appararet, apparabat & ſuo
Cucuphas catello, promptiuſque quàm ſibi.
Conuiua nequam, ſeſe amari conſcius,
(Audaculorum more puerorum, ſuis
Qui ſe magiſtris chariores autumant)
Subinde petulans, impudens, audax erat.
Strataque menſâ, nec-ſedente-dum ſene
Prior in catinum deſtinabat vngulas.
Si ſenior orbes volueret precarios,

Hos

Hos nebulo ludibundus orbes carpere,
Vim facere, fòrs & dente funem rumpere.
Si genua ponens, ad Deum preces daret,
Tergum ille & armos ponè lentus ſcandere,
Ronchoque ad aures comprecari diſſono,
Et inde labi, & veſtis oram mobili
Caudâ vndecumque & vſquequaque radere.
Arcere vix auſus ſenex, ſolo minas
Multiplicabat indice, & verò leues.
Si præ cauernæ foribus interclepſerat
Tectiuagus auceps elegantem muſculum,
Viuum & videntem properus in ſpectaculum,
Ante ſenis ora ferre, vt in proſcenium,
Surſum deorſum voluere, elabi ſinens
Et mox retractum prendere. Eſt & murium
Vetus hæc querela, Nos dij vt pilas habent.
Poſtquam ſibi & poſtquam ſeni ſat gaudij,
Sat & timoris muſculo creauerat,
Commolere duro dente captiui caput,
Dein hanc ferinam felium in ventris penu
Heroque comprobante ſuauiter dare,
Vti & miſellas, quas ſubinde ex arbore
Præteruolantes aucupatus eſt aues.
Cucuphæ dolebat, fortè ſi imprudentior
Cineri doloſo felis indormiſceret,
Et hinc pilos aduſtus efflaueſceret:
Si frigus aures lancinaret acriùs,
Sinebat in cubile ſubter ſtragulum,
Imò in cucullum dormientis ingredi,
Aut manicam inire brachialem funditus,
Illicque, ſi non oua, nidum ponere.
Sic erat (eremi pace quod ſcriptum velim)

In-

Ineptiente fele ineptior ſenex,
Cetera ſeuerus, aſper, horridus ſibi.
Hæc inter, animo ſubijt, animi gratiâ,
Adire ad vrbem, Cæſaris cognominem,
Vbi Baſilius infulâ clarus ſacrâ
Lateque rebus clarior geſtis erat.
Illuc pedes tulere, duxit ſcipio,
Et fòrs in ædem principem dedit via,
Quando Baſilius baſilicè ſanctæ Rei
Nauabat operam. Pompa erat, qualis diem
Tantum decebat, & decebat Præſulem,
Qui ſolio in alto veſte fulgens aureâ,
Et in bicorni prominebat vertice.
Digitos obibant annuli gemmis graues,
Pedumque præerat aureum. Circùm chorus,
Et hinc & inde grex ſacer, pars lineis,
Pars emicabat ſericis epitogijs.
Hæc ille (quem columna dimidium dabat
Plebi videndum, cetera occultum) haud bono
Spectabat oculo, nare, barbâ luridis,
„ Et muſſitabat, Ergóne, vt famæ placet,
„ Baſilius iſte, tantus iſte? ſcilicet,
„ Credant apellæ, & non apellæ, non ego.
„ Nimirum in iſto bella luxu ſanctitas
„ Sibi delicatum & byſſinum nidum ſtruit:
„ Ego inter aſpros & ſitibundos locos
„ Sudaui & alſi luſtra dena & amplius:
„ Cubile, partem maximam, tellus mihi eſt,
„ Sunt & vigiliæ ſomnus, eſuries cibus,
„ Duri coloris hæc lacerna amictus eſt,
„ Sed & ſupellex vna (ſcutellam manu
„ Prenſabat, aſpectabat) hæc omnis mea
„ Me-

» Mecum supellex,& familia nauigat.
Felem tacebat,quem suæ Larem casæ
Frustrà eiulantem inuitiùs reliquerat.
Dum tacitus istæc post columnam deuorans,
Magno seipsum Præsuli componeret,
En tibi inopina,quamque vellet,durior
Aurem superbam vox supernè verberat:
» Heus tu qui eremi cultor es,magè quàm tui,
» Quid hîc coaxas in lacunâ dentium?
» Inuitus,æger sanctiorem hunc te virum
» Vides in auro,præque te flocci facis.
» Ventose Cucupha,disce,si nescis:sua
» Sua est inopiæ,sordibus etiam sua est
» Ambitio,luxus,& cupido,& vanitas.
» Scutella pendens cingulo pluris tibi est,
» Quàm totus illi,quem vides,mundus facer.
» De fele vin' dicam tuo,ludis tuis?
Vt iste felem nuncupari inaudijt,
Detumuit vniuersus,vt ranuncula
Pede pressa equino;& auris istoc verbere
In se reuersus,in suam demum casam,
Senex deinceps eruditior fuit:
Felis miserior,& flagrorum ditior.
» Iudex sinister esse qui soles,caue
» Ne fortè Cucuphas æmulo velut suo
» Enutriendum det suum felem tibi.
Si ritè barbam demetis quotmensibus,
Ne carpe,néve scommatis salsis pete,
Promiserit si quis suam cinctu tenus.
Tu quoque Menalca cum tuâ domum boue
A nemore remeans ventre ter inanissimo,
Cui pisa oleribus mixta sunt hodie cibus,

Cras

Cras mixta pisis olera, ne fastu tume,
Ne teipse magni pende, nihili Villicos,
Quibus esca melior, atque candidior Ceres.
Et si lutatus, aut ab æstu torridus
Diffluis in agro, vel pedes das te in viam,
Ne Censor acer esto, néve liuidus,
Neu mussitator, obuium ciuem tibi
Si quem caballus aut quadriga vexerit.
Bone sutor, inter prolium immensum gregem,
Cui casa non est altior decempedâ,
Vbi ritè vapulare non queat canis;
Vicinus ædes grandiores dum struit,
Cui gnatus vnus vnicus & æger domi est,
Caue istud ori murmur irrepat tuo:
Domum superbam mens superbior parat.
Auriga ventis & procellis obuie,
Si lacera dorsum interula vix tegit tuum,
Niuem galero si fenestrato excipis,
Et hinc acerbo præ gelu totus riges,
Dum ad vsque nares quæpiam in curru tuo
Matrona recubat triplici operta pallio,
Cui leua dextræ consepulta in pellibus,
Pedesque sudant in præalto subere,
Ne dic, Et ista quàm dies ducit bonos!
» Grandi subinde dignior virgâ, solet
» Alios ferire virgulâ censoriâ.

S. Alexan-

S. Alexander è Philosopho carbonarius, è carbonario factus Episcopus.

Ex Greg. Nyss. in eius Vitâ.

COmana Ponti ciuitas haud vltima,
Post Christianum, quod subiuerat, iugum,
Auida legendi Antistitis, comitia
Illius ergô, sacra ritè dixerat.
Neocæsareæ Præsul è viciniâ
Accitus aderat, ille, quem miracula
Innumera, nequedum visa, varia, grandia
Iussere Thaumaturgon appellarier;
Cui mons rebellis non fuit; iussus loco
Aedi struendæ cedere, extemplò volens
Lubensque cessit, instar oui, mobilis.
Tandem ergo consedêre Comani Patres.
De more curiosa, conuolauerat
Fæx plebis ima, cerdo, dorsuarius,
Agaso, figulus, fullo, carbonarius,
Genus omne fabri, & omne sellularij.
Cœptum est iniri, ceu solet, suffragium;
Id studia varia scindere, varius fauor:
Euehere hic ardet inclytum facundiâ;
Ille generoso sanguini mitram vouet;
Opibus potentem qui præôptarent, erant.
Fòrs quisque voto non malo, at non optimo.
Vergit aliorsum Thaumaturgus, & Deum
Id velle secum, sat superque conscius,
» His si refragor, inquit, ô Patres boni,
» Parcite; fatebor, lingua, nobilitas, opes

» Opem

„ Opem ministrant Præsuli interdum bonam,
„ Nec pœnitenda commoda: ast mihi credite,
„ Subinde viliore sub lacernulâ est
„ Virtus latêre visa, quæ pedum queat
„ Meliore dextrâ ferre, plurium bono.
„ Illa illa Magno cum Deo propinquitas
„ Pendenda pluris, quàm sonora bractea
„ Aures & oculos destinata fallere.
Non tulit id æquè quispiam Optimatium,
Sed olida miscens felle verba, scilicet,
„ Si nauci habendæ sunt opes & stemmata,
„ Quid obstat, inquit, quin Alexander siet
„ Hierarcha noster, ille de vulgi foro
„ Fuliginosus ore Carbonarius?
Gregorius aurem tollit, ac omen ratus
Scitatur, Ecquis hic Alexander siet?
Is fortè, reliquos inter, ad clathros erat,
Humerosque totos celsus, vt quondam Saul,
Sed ater, vt Vulcanius quondam Cyclops,
Eoque vultu iure non ignobilis,
Pupis vel ipsis cognitus, quorum horrea
Compleràt emptis sacciger carbonibus.
Vocatur intrò; mox vbi medius stetit,
Præ se nigranti pileum gerens manu,
Hîc in cachinnos vulgus illaudabiles
Totô irruerunt ore, nec modus fuit.
Risêre Conscripti Patres sereniùs.
Cohibens lienem solus, immoto virum
Gregorius oculo mensus ac remensus est,
„ Caputque tacitus motitans, Non est, ait,
„ Hic cinislo, non est (mentiatur, vt lubet,
„ Carbone pictus ora) Carbonarius.

Hæc inter, oculos ille defigens humo,
Aequè moratur, quàm nihil, ludibria
Plebiſque riſus improbos, ac ſi foret
Grauis Lycei Peripatetici ſophus,
Vt erat; & olim dum iuuenta ferueret,
Aurea Sophorum ſcita, dictaque aurea
Validus tueri mordicùs, promptus dare
Reſponſa, tamquam è Tripode, fecundiſſima.
Erat & venuſtus ore, ſi quiſquam fuit;
Sed amor pudicæ mentis, horror ſordium,
Quas ſæpè forma gignit, impulerat virum,
Carbone perſonatus vt fieret foris,
Iuſsâ valere patriâ, & ſcientiâ
Latêre iuſsâ funditùs, radicitùs
Ad vſque tenues Alphabeti virgulas.
Vt ſeipſa virtus occuleret, opus hoc fuit,
Hic labor, opifices inter atque baiulos
Pronos nefanda facere, pronos eloqui,
Vbi anſa ſeſe dederit ac impunitas.
Ne proderetur ille, neu lucem daret,
Subijt periclum, dum è lucro ſuperſtite,
Aut parte mediâ pauperis ientaculi,
Inopes adoriebatur obliquâ manu,
Sed ne pateret, arte ſatagebat piâ:
Sic latuit atris tutus in carbonibus.
Totam igitur ædem riſus ille perambulans,
Repetitus aliquam dum daret rebus moram,
Gregorius illum ſeuocat; quid ſit viri,
Cogit fateri; mandat in ſacrarium
Abire, mandat & ſuis, vt clam omnibus
Hunc ritè lotum, ritè compoſitum parent
Pedo & tiarâ, veſtibuſque Antiſtitum.

Dum-

Dumque hæc parantur, remeat in Comitia
Ignara rerum, luculentiùs dein
Verba facit, animos addit, vt legant virum
Rei gerendæ commodum, verè virum.
Iamque incaluerat eloquendo Pontifex,
Quando famulorum turba Alexandrum ſtitit
Mitrâ bicornem & Præſuli magno parem;
Tantum inſtar olli, tanta maieſtas erat.
Stupuêre cuncti, præque ceteris, cui
Exciderat ore ſanna; vellet non datam;
Deo at volente, qui bonam fecit, data eſt.
Pellepida res eſt vulgus intuerier:
Riſum in ſtuporem quiſque vertit ilicò,
„ Sociumque cubito trudit, Heus iſtunc vides?
„ Qui hoc manè cæpas inter, inter allia
„ Ientare tetro pane viſus in foro eſt?
„ Hoc penitus (inquiebat alter) hoc erat,
„ Viſum ſubinde quod mihi eſt, dum cernerem
„ Neque deierantem more noſtro, nec ſales
„ Vel muſſitantem ludicros, tam ſerium,
„ Tam ſanctè in Aedis angulo precabundum,
„ Tamque peragentem recta Carbonarium.
„ Poſt illa Thaumaturgus, En Patres, ait,
„ En ille vobis, quem ſupremo Numini
„ Libuit Sacrorum deſtinari Præſidem,
„ Quem carbo nebulâ texit hactenus ſuâ.
„ Expunge laruam nunc, Alexander, tuam,
„ Mutans lacernam cyclade, pileum mitrâ:
„ Inaugurare, Præſul eſto; ſic Deus,
„ Sic & Comani, ſic ego, decernimus.
Illi annuerunt, adprecati, Præſuli
Id eueniret vt benè ac feliciter.

Sed post peracta ritè sacra, dicere
Is bona rogatus verba, dixit optima,
Hiante plebe, Patribus laudem Deo,
Et Thaumaturgo gratias habentibus.
Ita fit: Achates aut potentior lapis
Aliquando turpi repperitur in luto;
Sic & reperta est Infula in carbonibus;
Erro, repertum est Infulâ dignum caput.

Teuto adulter noctu rediens domum, capite diabolico vxori apparet & domesticis, donec sacrâ confessione expiatus est.

Lib. Apum exemp. 81.

RIdebat ore Luna formosissimo,
Nam pridiano se imbre curiosiùs
Lauerat, vt astra luce fuscaret suâ,
Solaque choream nocte cælestem daret,
Vidente & inuidente stellarum grege.
Ecce remeabat à scelere adulter suo;
Is Teuto, quamquam vir malus, miles bonus,
Dumque obseratam pulsat & pulsat domum,
Baubantque vigiles è suo canes toro,
Properi aduolare, & allatrare limina,
Vxor fenestram reserat, & quis ibi, rogat.
Ego ego (maritus infit) actutum fores.
Prospectat illa, & protinùs monstri videt
Horribilis ora, & vt maritum vox sonet,
Vt vestis etiam iuret esse ipsissimum,
Frons alia tamen est, nasus alter & coma,
Et oculi & aures. Proh fidem immortalium!

Excla-

Exclamat,& ſe muniens densâ cruce,
„ Quid video? Quid (reclamat ille) quid malum
„ Improba videres? ianuam aperiri iube,
„ Nec me hîc morari frigore rigentem ſine.
Mox trepida, quantâ voce clamari pote,
Dauos, Dromones,& Lyciſſas & Syras,
Ac ſi domus flagraret, è ſtratis vocat.
A ſeminudis atque ſemiſomnibus
Properatur. Inter iſta Teuto ianuam
Cardinibus imis pænè vellit; peierat,
Famulis minatur horrida. Illò curritur,
Rogatur, Ecquis hircus iſte ſit improbus,
Foras arietans pedibus? Hîc frendens herus:
„ Age, pande portam quadrigemine furcifer,
„ Videbis hircum,& arietantem ſenties.
Minas heriles audiens, caput fricat,
Tremulaque dextrâ peſſulum Dauus mouet.
Vix ipſe pedibus preſſerat primoribus
„ Limina. Quid iſtuc eſt rei? ô quàm horrendus es,
„ O here? profantur tota famulantum manus,
Pedem retorquent, ſeque muris apprimunt.
Aſt vt videndum ſe ſuis canibus dedit,
Mox hi in latibulum ſe dedêre profundius,
Caudis ſubactis, auribus ſublimibus:
„ Et vxor: O marite, quis te dæmonem?
„ Quid dæmonem, inquit Teuto. Non, inquã, vides,
„ Ait illa, quàm ſit oculus igneus tibi
„ Fornacis inſtar? ora quàm nigrantia
„ Carbonis inſtar? Quàm capilli ſe tui
„ Inſtar Meduſæ, inſtar colubrorum vibrent?
„ Et illa capiti quæ reſidunt cornua,
„ Et iſta roſtri pondera haud ſentis tui?

Attonitus intrat, atque formæ iudicem
Repentè speculum consulit, vultum videt
Furuum, pudendum, coniugemque dæmonum.
Exinde properat in recessum se abdere,
Etiam in tenebris occulens velo caput,
Noctemque reliquam lacrymis immergere,
Spondetque manè Curionis ad pedes
Accidere, sacris subdere manibus caput.
Aurora vix salute donarat diem,
Cùm Teuto, sponsionis hesternæ memor,
Se solus effert laribus, Aedem cogitans.
Tunc è suili grunniens gens porcia,
Inde ex ouili cum suis gnatis oues,
Aliunde capræ, fòrs & istorsum boues,
Et pars in agros, pars abibant in nemus,
Aliæ aliorsum, quæque cum suo pedo, &
Pedi magistris, & magistris fistulæ.
Horrificus ecce Teuto prodit obuius,
Tantique spectri panicus terror rapit
Capras, & agnos, & boues, oues, sues,
Horum & magistros, & canes pecuarios,
Vt hac & illac in fugam omnes proruant,
Omnesque balent, mugiant & grunniant:
Ouesque capris, bobus agnos, his sues
Mixtos videres, quidquid inclamauerint,
Quidquid Menalcæ & Tityri iactauerint,
Seu cespitem, seu saxa, seu lutum pedo.
Vestibulo ab ipso conspicatus Curio
Monstrum aduenire iam propinquum, intrò citus
Se recipit, Aedem claudit, obdit pessulum,
Ad vndæ ahenum lustricæ se proripit,
„ Dextram armat aspergillo, &, Intret, vt volet.

Pede

„ Pede Teuto portam tundit, & Quis dæmonum?
„ Scitante Curione; Nil ego dæmonis,
„ Ego sum misellus Teuto, sat aliàs tibi
„ Cognitus. *Curi.* Et vnde huc, vnde tam Plutonia
„ Tibi ora fumant? fascino vel vnguine
„ Fòrs Lamia te volatica abs te transtulit?
„ *Teut.* Nec saga, nec strix vlla me horrendum dedit,
„ Sed noxa, sed vindicta maculati tori
„ Os mihi dedere dæmonis. Pandit fores,
Introque gressum lustrat vndâ Curio.
Mora nulla; subiens Teuto cancellos sacros,
Scelerum mephitim, lacrymis pluentibus,
Stupente Curione funditùs lauat:
Dum mentis atræ vultus exit pulchrior,
Tum pariter oris pristini decus redit,
Terribilis ille rictus, aures, cornua
Extemporali euanuêre dæmoni,
Vt redderetur Teutoni suum caput.
Ita iussit expiata conscientia.

Iapones duo venatores, Neophytus vnus, alter Gentilis, certant inter se, Quis verus sit Deus.

Ex liter. Iapon. 1613.

SOliti ferinâ viuere Iapones duo
Sibi calcar ambo mutuum in siluas dabant,
Vbi & voluptas & lucrum est, crebro feras
Sclopo, vel ense, vel sagittâ persequi.
Hos aut propinquus sanguis, aut vicinia
Nexuerat arcto vinculo: impensè tamen

Fungos inanes, Iaponios inquam deos
Colebat vnus; hos suis venabulis,
Nemorosa quoties pes ferebat in loca,
Orare suetus, vt fauerent prosperè.
Fide nouellus alter, haud Christo diu
Intaminata meruerat stipendia,
Et firmus. Ergo manè primo dum foret
Terris benignus auræ & Auroræ fauor,
Vicina nemora cogitant, humero super
Igniuomâ onusti fistulâ. Iam passibus
Ter mille placidam commeauerant viam,
Quando Neophyto socius hæc fando dedit:
„ En silua diues & ferarum & arborum,
„ Cui Præses aliquis è minoribus dijs
„ Intus agit; is ni fauerit, remeabimus
„ Venationis irriti rectà domum.
„ Huic genua mecum pone, supplices manus
„ Et ora tolle pariter, hoc vt auspice
„ Opima nobis præda sub telum cadat.
Dixerat: at ille sanioris consilî,
Deosque nihilo pluris æstimans nuce,
„ Apage, ait. istum in ianuas Orci deum,
„ Cui nec pusillæ frondis internodium,
„ Nec ima cauda culicis occisi subest:
„ Est alius, est hîc vnus omnium Deus,
„ Is qui ferarum Dominus, is qui Conditor.
„ Huic si adlubescit, obuios centum dabit
„ Mora nulla lepores; ceruus ingens ilicet
„ Mihi sponte facili se trucidandum offeret,
„ Si Christianâ polleam fiduciâ.
Ad hæc cachinno grandiori concuti
Occœpit alter, & iocari; pluraque

Iam verba commutauerant vltrò & citrò,
Pro nemore dum ſtetere: demum ſerios
Conuênit illos inter, vt varij viâ
Siluam ſubirent, experimento ſuum
Hoc vt probarent alter ac alter Deum,
Qui nempe prædam opimiorem conferet,
Deus eſto: nullus eſto, qui nil conferet.
    Dextrâ ergo dextræ mutuò ſuperdatâ,
Paganus illac, Tyro noſter hac abit.
Qui mox ſodalem vt vidit ineuntem nemus,
Sclopo repoſto, genibus inflexis, Deum
Opere precatur maximo, ſuæ vt ſpei
Fideique firmæ promptus aſſertor fiet,
Vt iunceoſque ſtupeoſque Iaponum
Præclaro, id horæ, monſtret indicio deos.
    Vixdum has Olympo deſtinauerat preces,
Cùm ceruus inter arborum comas caput
Sublime tollit, ac deinde cornua
Arboribus ipſis celſiora, nec procul
Precante, pænè viſus illi edicere,
„ Quem quæris, adſum, iuſſus aduenio, necem
„ Præſtolor adſtans & videns. Tunc in ſolo
Antica firmans femora, poſtica incubans,
Coràm reſidit, & ictui frontem parat.
    Venator vt ſe compotem voti videt,
Sclopo recepto, ſurrigit læuum genu,
Feſtinus oculos & manus, & fiſtulam
Collimat; en ad paruulæ lapſum petræ
Repentè flammam cernit, exaudit ſonum,
Simulque lethum ſentit, & cadit fera.
    Poſt genua rurſum flexa, poſt & gratias
Cælitibus habitas, lætus ad lapſam volat.

Edebat animam, crure porrecto, vltimam.
Vastum hoc cadauer emouendo vix erat,
Nedum ferendo. Forsan illic obuiæ
Bigæ aut quadrigæ deuehendum credidit:
Tum lanius accersitur, is trochleam parat.
Verùm quid alius cum suo Siluatico,
In quem ferinæ spes recumbebat, deo?
Latibula nemoris peruagatur abdita,
Diemque solidum senticeta perfodit;
Millena numerat hîc & hîc vestigia,
Ceruina, aprugna, iamque iamque recentia:
Has inter vmbras, inter hanc indaginem
Cerui, vel apri, vel lepusculi nihil,
Ne vel capillus, quidquid implorauerit,
Quemquem deorum seu dearum orauerit.
Post tot labores, post salutatas genas
A vepre denso, fessus ad suos redit,
Visente tandem sole Cymmerios lacus.
Rescire sed eum libuit, an socius redux,
An in ferinâ faustior? Lasso pede
Vix limen huius presserat, stupidus bouem
Videt, aut videre credit, altè pendulum,
Quem ventre fisso lanius, extis erutis,
Ad laquear ipsum trochleâ exaltauerat,
Et vtrimque muris atrij dispanderat.
Ceruus erat ipsius, præda neophyti fera
Immanis, vlla nemore in vllo si fuit,
Quem Christianæ is præmium fidei tulit,
Alter pudorem cum suo Fauno tulit.

Rem

Reus simulans mortem, tumulo proximus dat se in fugam.

Ex Histor. Lusit. sub Ioanne II.

SImulare lethum pluribus letho fuit.
Exceptione testis omni maior es
Malesane sutor cum Clytemnestrâ tuâ
Brulæ, quem Caluinus irretiuerat,
Abijcere mandans fibulam, setam, picem,
Corijque veteris corrogata fragmina,
Aurique montem pollicens altissimum,
Si te peregrum fingeres, dein mortuum;
Vtrumque abundè doctus es tuo malo,
Mors ficta veram genuit. Et mendiculo
Sors eadem Hebræo contigit, dum fallere,
Stipis impetrandæ gratiâ, dolo pari
Adnisus olim Thaumaturgum: heu! falsus est,
Repertus à sodale cassus spiritu.
Fuit & Polono pauperi fraudi sua
Fraus, quem Minister in feretro conditum
Viuum & volentem dum vocat, mortem vocat.
Flebilia sunt hæc, Hilaribusque dissona:
Est quod propinem lætius & amænius.
Dum Lusitana sceptra Ioannes manu
Gereret potente, gereret ingenio pari,
Captiuus arcto mancipatus carceri
Furcâ vel ense, vel rotâ damnas erat:
Iam Theta nigrum Iudices præfixerant.
Quid agat, periclo sese vt eruat, reus?
Nox ipsa dormiebat obscurissimè,

Repentè vocem is edere intolerabilem,
Torminibus intolerabilissimis grauem
Opprimere ventrem manibus, insterni solo,
Impetere murum capite, tellurem pede,
Manibus capillos vellere immani modo.
Aedilis aduolare carcerarius,
Famulique captiuique, quos custodia
Liberior habuit, & rogare, quid rei?
„ Heu morior, infit, atra me mergit dies,
„ Heu morior. En & asthma corripiens gulam,
Præcepsque lapsus virium, aduentum breui
Semper-minacis hospitæ prædicere.
Mora nulla medicum. Is interim circumuagis
Vt albet oculis? nasus vt sensim minor
Recedit intrò? vt halitus venis abit?
Vt spasmus artus stringit, vt neruos trahit?
Ecce ore patulo spiritum edit vltimum,
Ecce obijt, aiunt, morte felix hac suâ,
Quem dirior manebat ac infamior.
En medicus, ille os brachiumque consulit,
„ Nil penitus animi palpitantis emicat,
„ Actum est, peractum est, asserit (de expertibus
Erat ille medicis, vt reor, queis moris est
Terram creare gibberam, & saccum suum,
Et meliùs auri nosse, quàm venæ sonum)
„ Quin me aduocastis temporiùs? haud huic erit
„ Ptisana deinceps vsus; ad Plures ijt.
Dixit, & ad ægros hinc suos se transtulit.
Feretrum paratur: iam dies maturior
Ad vmbilicum se suum illustrem dabat,
Quando hic opertus mortuorum linteo
Effertur. Hora est, pone laruam, mortue,

Sat

Sat benè peracta hucvsque cessit fabula,
Esto rediuiuus, id salus iubet tua.
Vbi se propinquum iam sepulcreto sacro
Persensit, atque hìc stare sandapilarios,
Vt in profundam se tabernam mergerent,
Vlulare primùm, mox leuare brachia
Cœpit; repentè fugere sandapilarij,
Et qui à sacello est carceri, dux funeris.
Reus inde spondâ desilire celerior,
Factusque volucris euolare quò licet.
Patefacta fraus est: imperato Iudicum
Haud mora satelles hac & illac mortuum
Extra sepulchrum quæritat. miser haud sibi
Consulere valuit, captus est: sed en frequens
Coijt senatus, atque capitali rei
Regem interesse iuuit instar arbitri.
Sunt qui seuero calculo, discedere
Abs antè latâ fas negent sententiâ,
Nulli patronam crimini fraudem volunt.
Pars in fauorem mollior, vitâ reum
Nutuque donat optimo fraudem bonam,
Quâ se, absque ruptis carceris repagulis,
Sine vi, alienâ detulit foras manu.
Diu pertinace fluctuatum in Curiâ.
Iusso Senatu diuidi, in Partes itum.
Pars æqua parti ne vel vno maior est,
Stetitque firmum lancis æquipondium,
Donec profatus pauca Princeps arbiter,
„ Nolo sceleratis, nolo sceleribus fauor
„ Meus vt vel vngue prosit vnico: attamen
„ Cùm paria vitæ ac mortis hæc suffragia
„ Conspicio, nostrum est vergere in clementiam.

„ I vincla, lictor, exime. Omnes ocyùs
Probâre Patres, præque Patribus reus
Hæc digna Rege verba, digna Iudice.

S. Lupus Senonum Episcopus dæmonem sibi insidiantem ollâ includit.

Ex eius Vitâ in Surio.

CLarus erat ouium Pastor & Pater Lupus,
Sed Senonum: is arte lusit insigni lupum,
Sed stygium. Opacæ noctis in silentio
Peruigilem in hymnos fortè se dederat sacros,
Sitique fauces arefactas senserat.
Torrebat ingens æstus auras vndique,
Eratque solito nequior Canicula.
Astuit ab orco peruigil etiam gener
Plutonis illic quispiam, per & hanc sitim
Arripuit ansam moliendis fraudibus,
Lupoque tricis implicando hanc destinans,
Aestum malignus halitu augebat suo.
Miratus æstuare plus æquo Lupus,
Nebulonis astum sensit, atque astum parat
Suum vicissim, quo reponat par pari.
Sitire simulans horridùm, seruo iubet,
Putei recentis plusculum illuc vt ferat.
Seruus, iteratò ferre ne fòrs imperet,
Ollam implet vndâ, dein suo profert hero.
Diabolus ollam conspicatus, hanc init
Ilicet; an vt venena lymphis misceat,
An vt calorem, nescio. verùm scio
Lupum id notasse, perque clathros dexteræ

Vidisse

Vidisse caudam euntis intrò belluæ.
Precibus & oculis ocyùs sursum datis,
Puluinar aliquod obuium signans cruce,
Superindit ollæ, dæmonemque carceri
Nil suspicantem deuouet testaceo.
Puluinus Ossâ grauior extemplò fuit,
Testaque adamante durior. Quid interim
Captiuus, vt se vidit ollæ conditum?
Quis memoret, vndæ marginem quot circulis
Obierit ore, captus vt piscis solet?
Quotiésve lapsus ac relapsus in infimum,
Et inde versus ac reuersus ad exitum
Et suprà & infrà rimulam quæsiuerit?
Quoties ferierit capite puluinum suo,
Hunc vt reiceret, séque prorueret foras?
Quantis in vndâ tonuerit boatibus,
Fluctusque conglobarit? Interim foris
Lupus aure captans, quid rei captus gerat,
Tandem vt meruerat, & decebat, hæc dedit
Piperata verba glorioso Gobio:
„ Túne, cui Lunam crista tangit, hîc lates?
„ Egredere, sodes, egredere: tenerrimis
„ Satis superque virium est formiculis,
„ Erepere istinc vt queant, tu non queas?
„ Tu, cui capillus vnicus marmor secat,
„ Cui findere æra ludus est, testam haud queas?
„ Cui cornua chalybs, ossa ahenæ fistulæ,
„ Cui cartilago lamna plusquam ferrea est,
„ Cui cauda cedros agitat, vt pluuiam Notus,
„ Nunc clausus istoc vase, tantillum vales?
„ Tenuia saltem sibila istinc euibra,
„ Tuosque fratres, qui pererrant aëra,

Aethio-

„ Aethiopas istuc aduoca, supplex roga,
„ Hoc è maligno vt eruant aquario.
„ Quidni ope tuarum, gerere quas scopis soles,
„ Amasiarum vi tibi viam facis?
„ Sed age hoc in æstu si sitis, est quod bibas;
„ Et si calore disperis, est vt nates.
„ Ast diu natabis, & diu sitiens bibes,
„ Nisi fateare, & ore diuulges tuo,
„ Crucem fuisse, quæ tibi hanc crucem creat;
„ Nec inde abire fas erit hodie tibi,
„ Nisi & crucem preceris, vt rursum sacrâ
„ Formata dextrâ pandat vndæ ianuam.
„ Eloquere, sodes, eloquere. Nequam silet
Magè quàm profundam lapsus in scrobem lupus.
Cuperet in Aetnæ potiùs atque Vesuuij
Natare flammis, quàm hoc in ollæ balneo.
Mallet in Auerno perfricari tergora
Pectinibus igneis, quàm Lupi hoc nigro sale.
Nihil est superbis ægrius, quàm scommatum
Mordaci aceto narem & aurem perlini.
Tandem precanti similis, & similis fatenti
Has fluere lacrymas & dolores à cruce,
Quam magnus ollam Præsul indiderat super,
Nihil iste, bombum præter, ex vrnâ dedit,
Deditque flebilissimum & creberrimum,
Donec reuertit manè tandem Cynthius
Radiante, tunc & alterâ Lupus cruce
Puluinar onerans, pondus inde sustulit.
Et subitò in auras his ab vndis ebrius
Saturque piperis euolauit Gobius.
Risere socij, quos per aëra obuios
Fugitiuus habuit; sæpè in ollam missus est
Ludi-

Ludibrij ergô, sæpè vidit indices
Etiam iocosos dæmonum monstrantium,
Hic est, cui olla fictilis carcer fuit.
Digna fuit olla hæc ventre sculpi literas
Has vnciales: Hîc LVPVM CEPIT LVPVS.

Simplici, sed superbo Eremitæ dæmon suadet vt filium immolet instar Abrahæ; & immolasset, nisi puer suspicax effugisset.

Ex Cass. Collat. 2. cap 7.

„ O Quàm timendam se in Charybdin induit
„ Quisquis tumori vela dat; quisquis sui
„ Obliuionis in saburrâ conditus,
„ Sua nimis alto credit infelix mari,
„ Si fuerit huic incauta simplicitas comes.
Sic olim eremo splendidissimâ Scythi
Ter luculentâ teste, Pambo quispiam
Ludos diabolo fecit, & foueam sibi,
Quò pænè mersus ibat in præceps, nisi
Obuius ijsset perdito patri puer.
Viduus, humatâ coniuge, illò venerat,
Natumque eódem tulerat annis paruulum:
Eratque (pueri quàm solent) astutior
Naso puellus ille rhinocerotico:
At, bubali instar, naris obtusæ pater,
Simplexque, si non ipsa simplicitas, fuit,
Et ventre toto, more vesicæ, tumens,
Sperabat, & spirabat excelsissima.
Exinde Auerni Caupo sulphurarius,
Fraudisque figulus, consitor, fusor, faber

Tam

Tam facilè casses in suos duxit virum,
Qui solitus horas terere pernox, perdius,
Pares cucumerum funditando lacrymas,
Buccisque tumidis gignere ampullas precum.
Precanti ab ore nebula fumabat grauis;
Quò magè rigebat aura, fumabat magè.
„ O si vel vnus, inquiebat, vnicus
„ Sidereus ales (esto, nil refert mea,
„ Sit de ille minimis atque dissitissimis
„ A sede Triados, deque eorum circulo,
„ Qui capita & alæ sola sunt) me viseret,
„ Et hoc tugurium luce compleret suâ?
„ Aut si vel vnum raperer abs humo pedem,
„ Absorptus extra mentis alueum meæ!
Stulta malè sani vota mox inaudijt,
Qui sordidato delitebat in angulo,
Pro more amicus & propola sordium,
Et vanæ amicus & propola gloriæ
Dæmon, nec vltrà is otiosus dormijt,
Dormire si fors libuit vmquam dæmoni.
Haud mora, cadauer iam recentis patibuli
Surripuit, aut è naue donatum mari,
Illudque amiculo byssino circumdedit,
Genas rubente purpurisso mentiens,
Radiantis auri circulo collum ambijt,
Capiti corollam, dexteræ laurum dedit,
Tum chirothecas & cothurnos (ne queant
Vngues videri, namque vulgò creditur,
Exinde nosci dæmonem, nisi prouidet)
Abs officinis mutuatus inscijs,
Quin à volucribus, noctuâ, cuculo, ardeâ,
Bubone, buteone, miluo, vulture,

Hinc

Hinc inde pennas derepentè vellicans,
Compegit alas, queis venuſtos indidit
Pauonis oculos, vt ſuperbirent magis.
Laruâ hac decorus Angeli, caſam ſubit,
Dum Pambo ſolitas mandit & mandit preces.
Ilicet obortâ luce pallidiuſculâ
(Qualis maligno ſulphuri eſt, dum accenditur)
» Salute molli impertit, Incolumis aue
» Amice Superûm Pambo, deque maximis.
Hoc melle delibitus aures ſimplices,
Voto potiri gaudet is demum ſuo,
Et præ tumore præque lætitiâ duas
Elatus vlnas, vix ſe habet; placidam tamen
Reddens ſalutem, quid ſibi rerum, rogat.
Hîc velut amico, quem latêre nil velit,
Arcana prodit varia, prodit grandia,
Futura, non futura Pſeudo-angelus.
Quid Roma belli, quídve cudat Africa,
Quid Cæſareæ, quídve Ponti Pontifex,
Quid in hypogeo id temporis ſuo gerat
Et hic & ille vaſtæ eremi municeps.
Diu iſte fucus tenuit. interim caſam
Phoſphorus Auerni luce complebat ſuâ,
Vel in axe mediæ noctis vmbroſiſſimo,
Quoad is ad aras vſque & vltra funditùs
Et ſe ſuumque donat olli filium.
Illic doloſam nactus horam furcifer
Hæc blanda fudit verba credulo ſeni:
„ Age auſpicatò, perge, quò pergis; Deo
„ Iam iamque propior, Abrahamo par eris,
„ Si mihi quod offers pignus, offeras Deo,
„ Et vt ille quondam victimam præſtò fuit

Et

,, Et ense & igne deuouere filium;
,, Ita hos amores iam tuos, gnatum tuum
,, Iugules, sacrifices, igne diuino bees;
,, Iste Isaaco, tu Abrahamo par eris.
Facturus imperata Pambo tunc erat.
Incogitanti paruulo lethum parans,
Huic referre cœpit, olim vinculis
Vt Abrahamus Isaacum strinxerit,
Vt & tenellum pænè messuerit caput,
Sacrisque flammis hostiam litauerit;
Vt placida soboles Isaacus funibus
Obtulerit ambas nil reluctantes manus,
Vt nudus humeros semicuruum verticem
Patris machæræ iam ruenti aptauerit.
Hæc vbi stupenti retulit, altiùs gemens,
Efflansque ab imo pectoris suspirium,
,, O si Abrahamo par forem! Dein filio,
,, O si Isaaco par fores! Astutulus
Puer hasce voces aure non haurit bonâ,
Nescio quid ipsi subolet: ex illo patrem
Obliquat oculis, aut fenestratâ manu,
Quid moliatur, spectat, & solus sibi,
,, Quid me intuetur limus assiduò pater,
,, Paratque restim? quorsum, ait, men' vt liget?
,, Cur ligna sicca cumulat, & condit struem,
,, Lignisque paleam subdit? vt me torreat?
,, Men' vt sacrificet? (ast vbi hunc ligno super
Tortâ & retortâ dextrâ cultrum videt
,, Acuere) Men' vt iugulet? esto, mi pater,
,, Esto Abrahamus, vt voles: mihi non vacat
,, Esse Isaaco, nec lubet. Præsagio
Sceleris futuri territus, mox in fugam.

Cernit

Cernit abeuntem Pambo, Nate quò fugis?
Fugit silendo natus, & quantum potis,
Per alta, per depressa, quò tulit metus.
Tandem ille nube dissipatâ cælitus,
Scrobemque cernens, quò se abibat perditum,
Oriente superûm luce iam palpat senex
Malesideratos Pseudoangeli dolos.
„ O Deus, ô, inquit, ni tulisses hoc opis,
„ Nisi hoc timoris indidisses filio,
„ Quantum pericli rebus incubuit meis,
„ Me iamque iamque parricidâ? Protinus
Dæmoni regresso, spe videndæ victimæ,
Vestibulo in ipso Pambo se fert obuium,
Et pro salute pinguiorem aspeginem
Sputi calentis ingerit in os & genas.
„ Facesse, furue nebulo, non te vel pili
„ Iam facio, non vel huius (vnguem vellicans)
„ Fraudum tuarum nimis, & vltrà conscius.
Hic rabidus irâ, mutuatas ilicò
Discerpit alas, & cadauer ad suos
Coruos relegat, & resumens pristinos
Vngues & oculos, caudam, & ora & cornua,
Reuocatus Orci Præsidis iussu, redit
In Stygia, prædæ vt perditæ pœnas luat.
An ad parentem filius reuerterit,
Haud scio: quòd in se Pambo regressus fiet,
Hoc scio; periclo cautior suo, & sui,
Quem astutus oculus & fuga eripuit neci.
Felix Parenti, filio felix fuga.

Sim-

Simplex, at pius iuuenis B. Virginem admodum videre desiderat, etiam cum oculorum iacturâ. Apparet Beata; ille vnum claudit oculum, ne vtroque careat. Et vno tantùm orbatur, qui & ipsi tandem restituitur.

Ex Promptuario Ioannis Heroldi.

FVit huicce dispar atque discolor seni
Iuuenis pudici pectoris, sed simplicis:
Amœniores inter ille litteras,
Quas hauriebat, vt ferebat inopia,
Erat Deiparæ cultor ardentissimus.
Desiderius huic fortè nomen inditum est:
Si fortè non est inditum, nos indimus,
Et iure; namque is primulâ à pueritiâ
Desiderarat, depoposcerat acriùs,
Vigilque dormiensque missitauerat
Millena cælo tela, millenas preces,
Sibi vt liceret os Mariæ splendidum
Vel per minutæ rimulæ angustam viam
Oculisque conniuentibus capessere.
Intuita ab astris Virgo pectus candidum,
Eò è supernis destinauit alitem
Rei futuræ nuntium, breuî fore,
Ipsam vt fruendam luminibus habeat suis:
Sed quia corusci tantus oris est vigor,
Solem vt decore centuplo supermicet,
Prænuntiare iussit, & simul fore,

Vt

Vt intuentis lumina imbecillia,
A luce, nigræ noctis in caliginem
Mergantur, inde captus vt oculis eat.
» Esto, ait: vt ora detur illa cernere,
» Prudens volensque & perlubens cæcutiam:
» Dummodò vel atomo temporis minusculo
» Fas mihi sit inspectare formosissimam,
» Nil moror. Abierat Ales, & subitò grauis
Tædere iuuenem cœpit infortunij
Quod imminebat; pœnitere muneris
Crebrò expetiti, & inquiebat lacrymans:
„ Quid me est futurum, vtroque si orber lumine,
„ Visâ Parente Numinis? Quî litteras,
„ Quî cœpta tandem studia prosequar mea?
„ An velut Homerus alter, inflans tibiam,
„ Vestibula ditûm pauperumque deteram,
„ Vt pauca Cereris frusta mendicus legam?
Nec dubius animi diu sui penderat,
„ Cùm exclamat: Euge repperi, quo amoliar
„ Meo periclum visui, & voto fruar:
„ Cùm lapsa cælo aduenerit Diuûm Parens,
„ Ego cæcitatis præcauendæ gratiâ,
„ Oculum recludens vnicum, claudam alterum,
„ Tantique fieri coelitem lubens emam.
Hoc igitur astu se præarmatum ratus,
Supplex ad aram, quam sibi (vt pueri solent)
Cubicularem struxerat, fundit preces.
Neque cecidêre in irritum, ô Desideri;
Ecce tibi derepentè promisso stetit,
Coram & precante Christipara sese stitit
Vultu (sat id dixisse) inenarrabili.
Stupore rigidus atque liquidus gaudio

Expli-

Explicuit oculum, vt destinarat, vnicum:
Sed explicabat, quantus ille, quantus est,
Magis magisque; supplicabundus, sibi
Vt hæc voluptas & decor durent diu,
Et longa saturent vota. clausus interim
Pruribat oculus alter, & vultum volens
Aequè, vt sodalis, conspicari, palpebris
Nictabat. Exin cœpit & iuuenem flagrans
Cupido valuas nondum aperti luminis
Pandere. Aperibat, mox & instar fulminis
Præcipitis astra repetit astrorum decus.
Iam cassus illo, quo Beatam viderat,
Deplorat, oculo quòd pepercerit alteri,
Quod non & istum panderit properantiùs,
Quò pleniusque puriusque cerneret.
„ O si vel hilum id gaudij fieret redux!
„ Oculeus etsi totus, etsi oculus forem
„ Totus, meipse panderem ac expanderem,
„ Tanti decoris vt potiri iterùm queam.
„ Esto, esto; fierem cæcior talpâ sene,
„ Qui fuerit annis mille subterraneus.
(Tunc euibrato ad Virginem suspirio)
„ O Mater, aure, quâ soles, audi preces,
„ Palmasque cerne supplices, quo oculo soles.
Vix ea profatum rursus optatissimo
Iuuenem beauit Diua conspectu sui.
Nil veritus oculum perdere hic superstitem,
Iam penitus oculos, & labra, & frontem, & genas,
Comamque contemplatur intentissimus,
Et mersus hæret in voluptatis mari.
Sed & hæc tuendo, is esse tandem desijt
Horatiorum de Phalange Coclitum:

Ocul

Oculo rediuit sol suus deperdito,
Quando illa reuolans in suum cæli torum
Voti reliquit luminumque compotem.
„ Tanti est Mariam colere, tanti feruere
„ Ardore puritatis integerrimo.

Mercator gemmas falsas pro veris vendens Imperatoris Gallieni coniugi, ab eo punitur solo supplicij metu, dum in Amphitheatro Caponi exponitur, loco alicuius feræ.

Ex Trebell. Poll.

DVm Gallieno Roma subdebat caput,
Gyrouagus, aut ex Alpium conuallibus,
Aut è Comensi fortè quispiam lacu
Mercator (illo de venustorum grege
Qui defricandis se caminis deuouent,
Quique super humeris oppidatim ligneum,
In quo omnia & quædam alia, promptuarium
Sudando, hiando, conquiescendo gerunt)
Romam adijt, & mox Gallieni in atrio
Genus omne merces, tænias, monilia,
Specula puellis, fasciasque iuuenibus,
Oculosque senibus, sed oculos exemptiles,
Inde rutilantes sardios, iaspidas,
Aliasque terræ clarioris filias
Sub pergulâ patente venales dedit.
Ilicet Ephebi, queis crumena obesior,
Sua sibi quisque comparant cimelia:
At queis crumena exanguis, hi sibi non sua

Et hinc & inde, clamque, furto comparant.
Venêre tandem de gynæceo leues
Animulæ auidulæ comptulæ pedissequæ,
Et post coëmptas quas iubebat reculas,
Acus, inaures, annulos, crumenulas,
Monuere diuam Gallieni coniugem,
Prostare baccas pænè sideribus pares.
Accitus igitur mango gemmarum, suam
Pandit apothecam Principi, & solitùm sibi,
Valere tanti peierans, adulteros
Vendit adamantas & pyropos maximi.
Exinde collo & pectori appendit suas
Regina merces, & cubile inambulat
Pauone gloriosior. Fòrs affuit
Nasutus aliquis & peritus, quid rei
Distent lupinis æra, subridens ait:
Quanti ergo margarita, si tanti vitra?
Labrum illa mordens, sensit emunctos malè
Sibi fraude nummos; ilicò (vt solitus puer
Adire matrem flebilis, si quis sibi
Eripuit assem, aut asse vendidit nucem)
Sic Imperatrix coniugem, gemens, fremens
Manumque sceleris vindicem exposcens adit.
Hîc Gallienus (mater vt etiam solet,
Nati vt querelas sistat, insectarier
Iniuriosos grandioribus minis)
„ Siccíne, ait, & te coniugem hic ausus meam
„ Fallere? peribit. Ite lictores, virum
„ Rapite, Theatrum pandite, hunc ad bestias,
„ Quas promeretur, iure damnatum volo.
Gauisa remeat in gynæceum venus,
Viso hoc tonantis fulmine, & se vltam putat.
Rur-

Rursum is ministro cuipiam è suis dedit
Mandata, properet in Theatrum, comparet
Supplicio atrocis sceleris horribilem feram,
Quæ vel leoni incuteret astanti metum.
Tum se, & Senatum, & omne vulgus affore.
Aliud in aurem molliore sibilo
Iubet abeunti; dein Theatrum cogitat.
Exierat aulâ sarcinosus Institor
Nummis onustus, ac onustus gaudio,
Bonisque cumulans gratijs Sortem deam,
Quæ gratioso se bearit hoc lucro.
Sed alia miserum sequitur à tergo dea,
Torua ore, manibus vnca, dorso squammea,
Caudâ & capillis horrida, Nemesim vocant,
Cauda tamen ipsi ludibunda pòst fuit.
En tibi Tribunus atque Lictorum manus
Noui huius oneris nil opinanti retrò
Decutere properant hanc & illam sarcinas,
Onerare vinclis, in Theatrum ducere
Populo futurum munus ac spectaculum.
Frustrà Quirites ille, frustrà Cælites
Clamare, cunctos vota surdos in sua.
Iam Præco grande crimen exaltauerat,
Plebem in Theatrum ciuerat, iam plurimo
Princeps Senatu cinctus, ad podium sedens,
Annuerat, antro emitteretur vt fera;
Et seminudus, seminex, mediâ reus
Stabat in arenâ, manibus in tergum datis,
Oculisque quaquà versus explorantibus,
Spectabat, vnde quáve prodiret Leo,
Aut Tigris, aut vtroque quid furiosius.
Iam cauea parturibat ingentem feram.

Territus aperti cardinis ſtridoribus,
Sudoris imbre totus in fluuios ijt.
Quod ergo trepidum, quod tamen ſit ludicrum,
Ecce è cauernâ gallus exit flaccidus,
Elumbis, aſt obeſus, is capo fuit.
Senatus obſtupêre, plebes riſui
Se dare, timoris medius & medius ſpei
Reus euiratum aſpicere gallinaceum.
Nec ſæuiorem vidit ille belluam,
Nec alium arena conſecuta eſt exitum.
Nempe id lepóris voluit, id ſpectaculi,
Id Gallienus muneris populo dare,
Id vltionis coniugi, id metus reo;
„ Fraudem, inquiebat, fecit, hanc & paſſus eſt
„ Impoſtor impoſturam. Abite, plaudite.
Abire iuſſus capo, iuſſus eſt reus,
Suum recepit iſte centumpondium,
Soliq́ue populo doctus eſt imponere,
Potiùs caminos decipere, quàm Principes.

Matrona vidua, cuius filiolam lupus rapuerat, D. Virginis imagini filium eripit, vt filiola ſibi ſua reddatur; & redditur.

Ex Diſcip. de Laudibus Virginis §. 17.

Mihi rotundus & teres candor placet;
Eſto aliquid illi ruris & ſiluæ foret,
Foret & minutæ floccus impudentiæ.
Quidni placeret? placuit & Deo & Dei
Magnæ Parenti. Teſtis id iurat mihi
Matrona quondam trimulâ cum filiâ.

Hæc

Hæc cum coæuis antagoniſtis pugil
Validas inibat diſputatiunculas,
Elementa ſacra ſciſcitanti cuilibet
Reſponſitare docta, docta quærere,
Preculaſque funditare potui, cibo,
Somnoque ſemper præuias, & poſteras.
Aſt in Deiparam (cuius iconem in ſuo
Lautè ac venuſtè compſerat ſacrario,
Vbi & corollas floreas & byſſinas
Veſtiſque variæ ſericum choragium
Sacro Mariæ cultui deuouerat)
Mater iubebat ferri amore feruido.
Dum fors puella caſtri ad anticas fores,
Vt fit, coæuâ cum ſodali luderet,
Aut fabricandis è luto fornaculis,
Et ingerendis è luto placentulis;
Aut læuigati marmoris ſuper quadro
Oſſicula, globulo ſaltitante, carperet,
En tibi propinquo è nemore ieiunans lupus,
Adeoque ringens præ fame, lento tamen
Et verſipelli graditur ad ſepes pede,
Oculoque furis horſum & illorſum tuens,
Tandem, vbi puellæ luſitant, init locum,
Viduæque gnatam proximam ceruicibus
Incogitantem corripit, in armos iacit,
Et fugit onuſtus in ſuam ſiluæ domum.
Timore primùm congelans puellula
Super lupino celſior tergo ſilet,
Dein dolore preſſa matrem clamitat,
Fortè & Mariam, nam vocandam protinus
Omni in periclo mater erudiuerat.
Vt ſocia ſociam vidit in furno lupi,

Suas placentas deserit;quantum licet,
Sed voce raucâ (viderat lupus hanc prior)
Raptæ parentem vocitat.En vicinia,
Mora nulla,tota;semiusto prosilit
Cum torre Corydon,cum machærâ Tityrus
Aeruginosâ,fert Amyntas perticam,
Mæris bipennim,ceteri quæ sors dedit.
Viæ vndecumque personant, Vbi est,vbi est?
Omnesque cogit cura conijcere,Hîc fuit,
Fòrs se inde,fòrs & inde proripuit fera.
Signatur oculis terra,sed duro in solo
Vestigiorum nulla sunt,neque quò neque
Quà latro nequam fugerit,vestigia.
Aliquò puella monstrat,illò curritur.
Vbi ad parentem clamor & sese tulit
Clamoris ansa,mox citatis gressibus,
Passis capillis in suum tendit larem:
Vbi ara Diuam,Diua Filium gerit.
Nec mora,reuellens Pupulum è matris sinu:
„ O Domina,vitam ni mihi reddis meam,
„ Tuâ carebis.Obses hæc erit meæ:
„ O Domina,gnatam redde.Dixit,& abstulit.
„ Subinde candor atque simplicitas queunt,
„ Magistra quod non audeat Prudentia.
Orbata Gnato Diua non succensuit,
Non torua,non minata raptrici fuit;
Arrisit illi potiùs orba Filio.
„ O & Mariæ candor ac humanitas,
„ O & superstes in supremis humilitas!
Ipsus Parentem qui relinquebat Puer
Annuere,sese vt sineret efferri lubens,
Visus & amicas flectere in risum genas.

Egressa

Egressa mater linteoque & serico
Pretiosiore conuolutum Paruulum
Reuerenter arcâ condit, & firmat serâ,
Iterùm precata pignus vt reddat suum.
Sed quid puellæ dominus intereà lupus?
Ibat pericli tutus in densum nemus,
Suisque catulis mente prædam partiens
Et sibi, nec aberat à suâ procul casâ.
At ecce cæli magna vis: compellitur
Inuitus oris claustra & arcta dentium
Pandere: Tenella lapsa molliusculè
Lupum repentè cernit in fugam dari,
Ac si molossi mille, mille lælapes
Iam pænè caudam deprehensam mordeant.
Attonita, sola, trepida cœpit in suam
Opem vocare lacrymas, suspiria,
Sed magè parentem voce lamentabili.
Planctum audiêre turba consectans lupum.
Feruntur illuc conciti, raptam vident
Propter frutetum liberam, circumfluunt,
Rimantur ecquid vulnerum in corpusculo?
Sed inusta colli primulæ cuticulæ
Paucula superstant dentium vestigia.
Hanc igitur vlnis ad parentem deuehunt,
Quæ amplexa natam, iam sui plagij memor,
Memorque Pueri dormientis in toro
Capacis arcæ, mox gynæceum subit;
Arca reseratur, in genua procumbitur,
Oppignoratus liberandæ filiæ
E mollicello lectulo Puellulus
Egeritur; hinc reuectus ad Sacrarium
Reducis puellæ manibus, ad Matrem redux

Reuolat in arcta, queis solebat, brachia.
Tum vidua lacrymas inter atque gaudia,
Inter pudoris & metus suspendium,
„ O Diua, dixit, parce, si impudens fui,
„ Imò sacrilega si fui, sobolis tuæ
„ Dum me rapinâ pollui. Id fieri meæ
„ Amor coëgit, & tui fiducia.
Ridere rursum visus est Matri Puer,
Lubensque veniam noxiæ (si noxiæ)
Rogare viduæ, quæ deinceps muneris
Meminisse tanti didicit, & docuit suam
Raptam è cruentâ fauce prædonis lupi
Plus plusque amare, plusque honore maximo
Celebrare Matrum Virginumque maximam.

Dum S. Nicolaus Tolentinus æger iussu Medici cogitur perdicem assam comedere, illa sancto Deum orante rediuiua euolat.

Ex Spec. Exemp.

NIcoleos ille, quem Tolentini suum,
Tam perduellis osor exstitit gulæ,
Tam sæuus oris hostis, vt nil fructuum,
Nil lactis, aut quod lacte compostum foret
Edule, labris tangeret primoribus.
De carne ne per somnium, sanus foret,
Foret æger; vndæ prolibus sic abstinens,
Vt gobionis ne vel imam branchiam;
Albumen oui cum vitello sorbile
Horrebat æquè quàm puer Rha barbarum.
Apage placentas, apage dulciarij

Pistoris

Piſtoris arte fabricatum artocreas.
Dumque ſuo aſello(ſic vocabat)hordeum
Paleaſque præbet parciores,horridam
Inedia maciem genuit & cachexiam.
Morbo tenetur ſontico.Suam inter hæc
Vicemque patris anxij nati gemunt,
Medicumque,cui neceſſitas vult & iubet
Caput aperiri,derepentè accerſiunt.
En tibi Galeni aut Hippocratis aliquis nepos
Fartus aphoriſmis,vt botellus carnibus,
Aegro apprecatus ſalua ſanaque omnia,
Tractare dextræ dein ſiniſtræ ſpiritum,
An par,an impar,an vibrans,an crebrior,
An ire ſurſum lentus,aut obdormiens.
Rogare,noctes ánne peruigilem grauent,
An orexis aliqua aut virium defectio?
Verſare phialam,& ad feneſtram cernere,
An natitet intus expetenda hypoſtaſis?
Vbi rogitauit multa,multaque intulit,
Tum carnem opimam,iurulentam,ſuccidam
(Quidquid reclamet)mandat apponi viro.
Hic omne ſaxum æger mouet,& inter duo
Vt præla ſudat,carnis eſum deprecans;
Sed inane votum eſt,& preces euanidæ:
Voluêre tandem Præſides,quibus nefas
Obſtare.Perdix commodùm en dono data
Aſſanda lentis deſtinatur ignibus.
Poſtquam in catillo fictili & menſâ fuit,
Intuitus oculis æger hanc ægerrimis,
» Ingemuit,Eheu!egóne perdicem vorem,
» Qui nec puſillam bucceam lardi aridi
» Per ſena ſolida luſtra linguâ contigi?

„ Auerte cæli Rector istanc noxiam.
Dixerat,& aures Cælitum peruaserat.
  Mox ora tergens dexterâ,cultrum parans,
Ac si vorandi magna gliſceret fames,
Celsâ volûcrem signat illatam Cruce.
  Mora nulla,volucris stat suis pedunculis
Super catillo,dein caput cruri inditum
Reuellit,abigens pellis assæ squammulas,
Nouamque vestem plumeam circumdata,
Velut ad sororis nuptias abituriens,
Rediuiua tandem tota perdicem sonat,
Suoque more cacabans sese explicat,
Et quà fenestra dat viam,illac euolat.
  Exinde grandis rapuit astantes stupor,
Sed risus ægrum & ampla lætitiæ seges.
„ Quàm valida Sanctis vota, quàm armatæ preces!

Histrio ad meliora conuersus, socium Histrionem includit suo antro fraudulenter, efficitque tandem vt Histrioniam deserat, & secum in antro permaneat.

Ex Iordan. in Vitis Eremit.

PAr Histrionum circulatorum fuit.
Ne sciscitare Lector annum, patriam,
Nomina: vetustas abdidit: fas est mihi
Olli Sodalis nomen, huic Socij dare,
Nam strictâ amoris colligati fibulâ
Crumenimulgæ & nugiuendi nobiles,
Simul perenni jamque dudum circulo

Et

Et has & illas peruolare nundinas,
(Canes hi odori nundinas magè quàm ſuos
Nouere nidos) hîc in alto pegmate
De more ſpurcas, fæculentas, impias
Peragere riſum quæ cierent fabulas;
Hinc & amuleta (ſi Ioui placet infero,
Vt placet) ineptis venditare ruſticis,
Vt omne virus, omne febrium pecus
Foras proicerent ſcilicet: ſuo dein
(Bulga vbi tumuerat fœnore Hiſtrioniæ)
Litare ventri, ſacrificare abdomini.
At at Sodalem (cui refulgebat bonæ
Particula mentis, & aliquis cæli timor)
Laboris huius pœnitendi pœnitet,
Artis pudendæ diſpudet. Iuuat vale
Dicere Theatris, & Theatrorum iocis.
Sed vota Socio ſaniora hæc pandere
Non lubet, is obices daret ineluctabiles.
Quare in remotos, inſalutato, locos
Stat fugere. Rupes diſſito ſurrexerat
In nemore; mediâ rupe ſe abdebat ſpecus
Obſcura, modico vixque tres vlnas patente
Hiabat ore, quà videret ſidera.
Erat & feneſtra triſtis, arcta, profundior
In rupis imo, quà cibus dari potis.
Huc ſe ergo mergit, accolis iuuantibus,
Et reſte longâ de ſuperno labitur;
Datoque paleæ faſce, quo lectum ſtruat,
Claudunt hiatum marmore, intrò ne pluat.
Interea Socius, manè qui edormiuerat
Tum fortè calido, nocte quod biberat merum,
Aut in carinâ ruminarat plumeâ,

Quas id diei venderet nugas foro,
Scitatur, ecquò ludius commilito
Adeoque matutinus euolauerit?
  Istius index nemo, nullus conscius.
Errat, pererrat (vt molossus, quem nouis
Herus coëmptis fòrs fefellit calceis,
Nequedum caninæ cognitis indagini,
Nunc angiportus, nunc plateas peruias,
Verrente terram nare, peragrat concitus,
An hero obuiarint, obuios rogans canes.)
  Haud aliter erro noster vrbes, oppida,
Pagosque lustrat, & molestus omnium
Obtundit aures quæstione lugubri,
Annon sodalem quispiam vspiam sciat?
Compulsus, ex quo iam theatris frigidis
Pede claudicabat altero Histrionia,
Viuere polentâ, furfure, & nigro sale,
Solius ille sibili in foro satur.
  Tandemque longas post triennij moras,
Rumore passim garrulo, didicit virum
Nescio quem & vnde, hanc expiandis noxijs
Inijsse rupem concauam; hìc fame, siti,
Pædore, tenebris, sponte mulctari suâ.
„ Is ipsus, infit, ipsus est, dudum id meæ
„ Et nari & auri creditum. Mox in nemus,
Mox ad cauernam præcipitat impos moræ.
  Rupi propinquus, pro fenestellæ tubo
Attentus oculo ter patente constitit,
An Histrionis aliquid intus cerneret,
Annon sodalem tussientem inaudijt,
At bombum in antro tussis edebat grauem,
Nec inde licuit nosse quid foret viri;
Tene-

Tenebræ videri non ſinunt è lumine.
„ Dic, ait, amabo, mi ſodalis, delites
„ Hoc in receſſu? (tacuit ille, vel prece
Nondum peractâ, vel loquentem quid viri
„ Neſcire ſimulans.) Quæſo te, quis ſim vide.
Vox è cauernâ fuſca demum redditur:
„ *Sod.* O ſocie, ſaluum te aduenire gaudeo:
„ Fors & benigniore te cælum pium
„ Afflauit aurâ, vt & venires impulit.
„ *Soc.* Afflauit inquam, & me venire compulit,
„ Benignior ſis vt tibi, ſis vt mihi.
„ *Sod.* Quî fiet? *Soc.* Iſtac è ſcrobe phlegethontiâ
„ Mora nulla ſi te proripis. Veni illius
„ Ergô; repulſam ſi fero, mortem fero.
„ Certum eſt vel enſe hoc vel mori funeſtius.
„ *Sod.* Meliora Superi. Satius vt mecum velis
„ Vitam hîc beatam viuere. Id Deus velit.
„ *Soc.* Vitam ibi beatam viuere? inter noctuas,
„ Diros colûbros inter, inter dæmonas,
„ Quorum id latibulum & limen atrum Tartari eſt?
„ *Sod.* O quàm iſta melius Hiſtrioniæ quadrant!
„ O quàm profundo merſus in cœno iaces!
„ Ex quo ſceleribus improbos nutris dies,
„ Ex quo libido te in ſuos caſſes dedit,
„ Et illa, quæ te perdit, Hiſtrionia,
„ Quanto labores in barathro non vides?
„ *Soc.* Quid me, quid auras obruis longis logis?
„ Vitam beatam viuere, eſt lepidos ſales
„ Per plebis aures ſerere, bellis geſtibus
„ Oculos & animos paſcere. hinc marſupia
„ Farcire nummis, inde ventrem poculis.
„ *Sod.* O chare, quàm te læuus error faſcinat?

„ *Soc.* Quàm vellem eodem te impediri faſcino!
„ Sed age morarum ſolue nodos,exili
„ Ex hac nefaſtâ rupe,dum viuus potes.
Fruſtrà iſte duræ cautis incolam ferit,
Precibus,querelis,& minis,cautem ferit.
„ Fortè,ait,vt vnda crebrior ſaxum domat,
„ Hoc domina forſan poterit importunitas.
Repetit cauernam denſiùs,moleſtiùs,
Tandemque iurat non mouere illinc pedem,
Donec in apertæ lucis aureum iubar
Migraſſe tetro ſpectet abs ergaſtulo.
„ Annuere iuri-ſæpe-iurando ſolet,
„ Quando id ſaluti commodat noſtræ,Deus.
Exinde clauſo ſubijt in mentem pius,
Circumuenire quo queat Socium,dolus.
Voce ergo pigrâ,pallidâ,ſentâ ſitu,
Occœpit antri fœtidi faſtidium
Simulare,morbum ſubuereri,frigidas
Numerare ſtillas lacrymantis fornicis;
Madêre totas rore veſtes improbo,
Ipſos natare in humido pedes ſolo;
(Hîc exilire Socius,& manu manum
Calfacere)pergit ille.Quod foret ſibi
Salubre,Diuûm pace quod fieret bonâ,
Deſerere demum velle ſtationem horridam.
Haud mora,cauernæ os Socius inſcendit,graue
Molitur inde marmor,& funem iacit,
Suumque volupe,veriùs,ſuum lucrum
„ Eruere promptus,lætus amplecti,Heus age
„ Abeamus,inquit,noſtra iamdudum gelu
„ Rigent theatra,ſed magis marſupia
„ Aranearum plena,nummorum indiga.
„ Te

„ Te ſine lucelli ne vel hilum erat ſuper.
„ Per te bonorum ſemper & ſemper ſeges,
„ Velut horæ in horas, vndæ in vndas, influet.
Iuſsâ vt valeret rupe pergebant iter,
„ Quando Sodalis infit: Heu factum male!
„ Dum me nimis repentè pellicis foras,
„ Zonam reliqui neſcius paleæ in toro,
„ Nummi vbi repoſti dormiunt compluſculi,
„ Dati benignâ viſitantium ſtipe.
„ Tum Socius: Illos, ſi lubet, luci dabo.
„ Malo in tabernâ, quàm in cauernâ dormiant.
„ Inibo, ſi me reſte delabi ſinas,
„ Sed reſte firmâ: tantulùm lubens ero
„ Huius tabernæ caupo, nummos vt feram.
„ Si vel puſilli ſpes foret teruncij,
„ Pernix ad ipſa graderer ora Tartari.
Socio Sodalis annuit: deuoluitur;
Quæ nuſquam in antro eſt, nec fuit, pecuniam
Labore caſſo per tenêbras quæritat,
Paleamque voluit ac reuoluit. Interim
Remeare iuſſo fune, poſito marmore
Se tacitus alter ad feneſtellam tulit.
Hîc genua curuus, eſſe proſper vt velit,
Deum fatigat precibus. Ille muſſitat.
„ *Soc.* Eho tu iocaris? pande, ſaxum demoue,
„ Age, redde funem; nec tuos hîc obſides
„ Inuenio nummos, nec tenêbras has fero.
„ Videre videor ſpectra quæ circumſident,
„ Humeroſque, pænè ſentio, ſcandunt meos.
„ *Sod.* Nihil verere, nulla ſunt. Tecum tuus
„ Tecum eſt Achates Angelus. *Soc.* Tecum fuat
„ Millenus ater angelus, niſi reſeras;

„ Niſi

„ Nisi me remisso funis auxilio leuas,
„ Ego te. Renidens ille solum humerum leuat.
Sic Histriones inter ad scopuli pedem
Iucunda geritur hæc tragicomœdia.
Tragœdus intus, at foris comœdus est.
Dumque iste placidus perstat in proscenio,
Alter cothurnos induit, pulsat solum,
Furentis instar Herculis sæuum tonat.
Bona ille monita mollibus condit iocis,
Hic oculo & igne per foramen fulgurans,
Subinde pugnos fulminatores vibrat,
Et iam nefastum proditorem nuncupat,
Iam ganeonem perditum, iam nomina
Ipso timenda vel sono iactat foras,
Iam molliore voce compellans, rogat,
Vt euolutâ mole saxi se eximat.
„ *Soc.* O quàm execrando tædio mentem necas!
„ Remitte funem, nunc iocatus plus satis.
„ *Sod.* Quid profutura temnis? vtere fruere
„ Necessitate, dum licet: bono tuo
„ De plumbeâ, de ferreâ fac auream.
„ Saltem huius antri terror exanimet; time,
„ Pallesce, lacrymis expia crebrum scelus,
„ Funesta quo te astrinxit Histrionia.
„ Antrum salutis ansa fors erit tuæ.
„ *Soc.* O si salutis auctor hoc antrum foret!
„ *Sod.* O perge, lætam corripis sensim viam.
Tandem ergo tandem, velut ab igne soluitur
Tacitarum aquarum vellus, aut apium labos
Sensim labascit, sic liquescens Histrio
Metuque denso, morte, conscientiâ,
Aeternitate terrefactus, omnia
Meliora

Meliora spondet & bonam frugem Deo.
" *Soc.* Numquámne noxis liber, & liber metu
" Pacatiore spiritum ducam Deo?
" Sed astra grauiter impetij, grauiùs Deum,
" Dum me scelesta deuium traxit Venus,
" Libidinosus Bacchus, & venter popa,
" Et hæc iuuentæ pestis Histrionia;
" Spondere veniam tam facinoroso potes?
" *Sod.* O caue, nefanda scylla desperatio est.
" Nescis benignum deprecantibus Deum?
" *Soc.* Nimiùm sed alto criminum mergor mari.
" *Sod.* At est supernæ maior indulgentiæ
" Oceanus; istuc nauiga, portum tenes.
" *Soc.* Lubens malignum virus euomã, & his volens
" Fruar, vtar vmbris. *Sod.* Atque ego lubentior
" Regrediar, & te, quà bono dabitur Deo,
" Iuuabo, nigræ mentis vt tollas luem.
Sic fulsit almâ luce Sol illi nouus.
Redijt eódem fraudis auctor & boni:
Simulque facti contubernales, quadrâ
Vixere eâdem saxeo in triclinio,
Vbi mensa genua, mappa paupertas fuit,
Et lacryma potus, & fames panis fuit,
Gaudentis epulum iuge conscientiæ,
Antro immoratis pariter ac immortuis.
Muscipula murem vt fallit, vt auem retia,
Sic Histrionem fraude cepit Histrio.
" Fraus pia benignus hamus est, felix plaga,
" Fouea expetenda, fine dum fruitur bono.

S.PA-

S.Pachomius dæmonem videt ficui incubantem, & inde Nouitijs insidias struentem & ad ficus carpendas inuitantem.

Ex Vitis Pat. & Metaph.

LEx in veteribus vixit Asceterijs,
Hodieque viuit in nouis complusculis,
» Vt nemo fructum lentiorem aut præcocem,
» Seu quem fidelis ramus etiamnum sibi
» Seruat tenacem ac pendulum in pomario,
» Seu quem maleuolus imber afflixit solo,
» Aut sponte lapsantem suâ maturitas
» Benigna vescum transeuntibus dedit,
» Siue vua, siue oliua, siue sint pyra,
» Seu cerasa, & aliud omne pomorum genus,
» Vt nemo seu vir, seu senex, seu sit puer,
» Aut vellat, aut humo legat, nedum esitet,
» Nisi nutus adsit & facultas Præsidis,
» Nedum in cubile gestet, vt noctu voret.
Monachos Muchonsæ (titulus is claustro fuit)
Visebat olim Nobilis Pachomius
Nobilis eremi Patriarcha Pachomius.
Videre videor obuios gnatos Patri,
Primumque canis lacteam turbam senum,
Dein virorum. barba cingulo tenus
Et his & illis digna maiestas erat,
Sed vtrisque cælo dignior virtus erat.
Hos inter olitor strenuissimus Ionas.
Sed & fuêre qui iuuentam nunc suam
Recèns sacrarant, Cœnobij proles nouæ.

In-

Intro-ergo-greſſus ſenior arborem videt.
Procera ficus hæc erat, latè comas
Diffuſa, ramis fæta procumbentibus,
Tam denſa matrem degrauabant pignora.
Mediæ inſidebat arbori monſtrum horridum:
Magni Dynaſtæ plurimum in monſtro fuit;
Sic ora tenuit, ſic, vt anſas, brachia;
Clauam ſiniſtrâ præferens ſceptri vice,
Oculos vibrabat, vt tyranno moris eſt;
Ventrem gerebat inſtar immenſi cadi.
Nec vlla nobis ſphynx opus; dæmon erat,
Cui Gaſtrimargo nomen: ille ficui
Dudum imperarat, incubans noctu diu,
Anſamque tribuens fructuum eſurionibus
Subinde fieri legirupionibus.
Vbi aduenire quempiam è minoribus
Cernebat, eueſtigiò more Africi
Succutere ramos, decutere ficus humi.
Hic Tyro proritatus illicitâ fame
Crumenicidæ more & oculo cernere,
An in propinquo quiſpiam; pronus dein,
Ac ſi ſolutum calceum reſtringeret,
Mora nulla læuâ ac dexterâ ficus duas
Corripere, denudare, ventri credere.
Etiam puſillâ lætus hac victoriâ
Ridere dæmon, præque riſu crebriùs
Quaſſare ramos, impluere ficus nouas,
Vt & ille manicas hiſce ſaturaret ſuas.
Domum hoc reuerſo, aut alteram ingreſſo viam,
Venire ſuccedaneus voto pari
Alius & alius. Copia, opportunitas,
Truncus tricorpor, facilis aſcenſus, mala

Cupi-

Cupido, ficus pensiles in os dare.
Pars tamen & animo melior & numero fuit,
Quæ ne pilo tentare ficus obuias,
Nedum vorare, nedum in arcam condere.
A transeunte cominùs Pachomio
Vbi se videri vidit orci furcifer
Inuisus alijs, nil moræ, latissima
Ficulna folia vellit, & sese, vt potis,
(Sic olim Adamus deprehensus) abdidit,
Sed prominebant cornua ac vnci pedes.
Hæc deinde verba dat Pachomius Ionæ:
„ Mi frater, istanc, si mihi morem geris,
„ Ficum securis ilicò euersam dabit.
„ Reclamat olitor: O Pater, ne id iusseris,
„ Hæc arbos auro præstat, hæc mitissimos
„ Dat bifera fœtus, quidquid aura murmuret;
„ Munifica si quæ pomus vlla sit domi.
„ Viden' vt caducos fulcra ramos subrigant,
„ Ne mole tantâ fructuum cassi ruant?
„ Vel sola, quam diffundit, vmbra diutiùs
„ Nostro meretur horto, & areâ frui.
„ Hîc senior ingemiscit: Ah nescis, Iona,
„ Quos illa fructus quamque noxios gerat!
„ Ficus, reponit ille, ficus optimas.
„ O fili, acerbas, intulit Pachomius.
Nec plura; tendit ad suas intrò preces.
Hortum rigare lætus interim Ionas,
Suam ipse ficum saluam & incolumem ratus,
Neque memor, esse precibus oblongas manus.
Ast magè triumphat, exilitque gaudio
Toruus Dynastes arboris, sed non diu:
Nam derepentè, dum Pachomius Deum

Solli-

Sollicitat, iste sensit à tergo vrier
Caudam; profugiens ergo more caniculæ,
Sed ante præ furore, præque malitiâ,
Ficum vniuersam putido afflans halitu,
Ter mille diris deuouet Pachomium.
Die deinde postero bonus Ionas
Exaruisse stirpitus ficum videt,
Videtque ficus iam medullitùs putres.
Si cùm iuberet decuti Pachomius,
Fecisset imperata, ferroque arborem
Prostrasset, ijssent in catinum Fratribus
Hæ saltem edendæ. Quid deinde Pachomius
Monitu paterno dixerit, quid egerit
His ficuum furunculis tyrunculis
Ad se vocatis in locum (quem dæmones
Odere peiùs igne, peiùs Tartaro)
Conijcere pronum est. Dixit, & dixit gemens:
» Quàm sæpè nobis parua res magno stetit!
» Et Adæ Parenti, dum Orbis in cunis erat,
» Aurum ruina non fuit, pomum fuit.
» Nec minima legum minima damnorum creat,
» Si quam fragilitas aut malitia ruperit.

B. Iuniperus Franciscanus, dum ambiguis responsis Principem Tyrannum suspedit, panè ipse laqueo suspenditur illius iussu.

Ex S. Francis. Chron. lib. 6. cap. 38.

IVniperus ille, qui suem ægri gratiâ
Fecisse tripodem fertur, is prudens volens
Seipse longam pænè fecit perticam,

Dum

Dum grande facinus, cuius insciens erat,
Visus fateri est. Solus ad Viterbios;
His vt salubrem è pulpito vocem daret,
Iter capessens, appetebat oppidum,
Cuius Dynasta vir ferus, Viterbijs
Infensus hostis, & rapinâ & stragibus
Pessum agere solitus incolas & accolas,
Et si quis hospes, cis vel vltra commeans,
Illorsum adiret, ilicet satellitum
Vis magna circumfluere, scrutari vndique
An arma, literásve clancularias
Quò & vnde ferret, & cui vellet datas:
Rapere ad Dynastam, si tremat, si cespitet:
Deos Dynasta deierare millies,
Dira minitari, polliceri munera,
Vt ille, si quas norit insidias strui,
Et intus harum conscios, edat palàm.
» Hic est Tyranni Principis mos & metus.
Iuniperus ibat pensa persoluens pia,
Aut supera meditans, cùm viri formam probi
Mentitus, & mentitus insidias, adit
Dæmon Dynastam. Iurat, à Viterbijs
Summissum adesse propiùs & propiùs virum,
Qui proditrice dexterâ ipsum det neci,
Exinde toti incendium castro paret.
» Mendicus (inquit sartor & sutor doli)
» Mendicus ille est veste dementissimâ;
» Cucullus illi comprimit glabrum caput,
» Et solea plantas lignea, coriaceis
» Hinc inde copulata subligaculis,
» Sed laxa manica semirosum brachium
» Vtrumque circumuallat. hîc equus later
» Troia-

» Troianus; (aures mox Dynasta pandere,
Easque manicis atque furno laxius)
» Praeacuta delitescit intus Subula,
» Quam tibi, salutes vbi propinarit bonas,
» In pectus adigat, ac, vt est dexterrimus,
» Cor inde figat: est & igniarium
» Vbi fomes acer & silex flammae parens,
» Coniuxque silicis ignis in partu chalybs,
» Demum & papyri sulphuratae copia,
» Vt varia castri nocte succendat loca.
» Moras periclum nescit; anteuertito,
» Nisi antè factum mauelis malo tuo.
Ista veterator stygius enarrauerat,
Neque cuncta mendax; namque Iuniperus sibi,
Quocumque gressum flecteret, comites viae
Gestabat igniariumque subulamque,
Hancce reparandis sandalijs, illud bonum
Exsuscitando lumini ad noctis preces.
Mora nulla, multus miles emissarius
Iussu Dynastae prodit obuius reo.
Iuniperus ergo iam propinquus, oppidi
Moenia legebat, quando militum manus
Vlulare circum, ceu fame rabidi canes,
Eruere librum manibus, humeris pallium,
Et in cucullum brachia hic immergere,
Intrò ire manicas alter & nare & manu:
Suspecta tandem en subula, igniariumque,
Indicia proditoris illustrissima
Scilicet. At inter hosce stare bubalos
Iuniperus ore laetus, animo laetior,
Et hos & illos contueri interritus.
Si proditorem aut parricidam nuncupent,
An-

Annuere; vinclis dum volunt compingere,
Manus lubentes obuiasque porgere.
Ergo ad Dynastam præcipite cursu trahi:
Pro foribus ille, pileo in nasum dato,
Oculisque toruum ac horridum vibrantibus,
Læuamque fuste militari fulciens,
» Nequedũ propinquũ appellat: Heus tu quisquis es,
» Quo nunc viam capessis? *Iunip.* Ad Viterbios
» Pedes ferebant; si ligabis, haud ferent.
» *Dyn.* Ecqui parentes, patria & nomen tibi?
» *Iun.* Iuniperus ego sum & arbor inuersa, vt vides.
» Mihique cælum patria & parens humus.
» *Dyn.* Quid hominis, inquam, es; effer. *Iun.* Omnia
» omnibus.
» *Dyn.* Conductus igitur præmio vt malum patres?
» Videsis, fateri vera si negaueris
» Repentè faxo contubernalem cruci.
» *Iun.* Si faxis, à me gratias gratas feres;
» Nam mihi taberna crux erit gratissima.
» *Dyn.* Non est iocandi hæc area; citò edissere,
» Adésne, castrum vt vendites Viterbijs?
» *Iun.* Equidem nefandus proditor fui, sum, ero,
» Nisi prohibessit, qui potest. *Dyn.* Hostes meos
» Ain' amicos & familiares tuos?
» *Iun.* Iurare valeo, & quidquid est vitæ mihi,
» Horum saluti consecraturio lubens.
» *Dyn.* Vt mea, meosque, meque flammis consecres?
» *Iun.* Vt tua, tuosque, teque, si sineret Deus.
» *Dyn.* Mihi immerenti hac subulâ vitam haurias?
» *Iun.* Facturus & peiora, si sineret Deus.
Ambigua sensu dicta nil discriminans
Dynasta totus ringitur, miles furit,

Ecquid

Ecquid morarum est? ad crucem, rotam, rogum.
Crimen fatetur, inquiunt, planissimè.
Crucem parari, quique moribundum iuuent,
Mox aduocari Sacrificos Princeps iubet.
Et aduocati commodùm è tuo grege,
Francisce, comites qui reo ad crucem forent.
Vix affuere cominus, cùm inclamitant:
Iuniperus ille, noster ille, noster est.
Tum Patre relicto, se ad Dynastam conciti,
Hunc deprecari pro reo nihil reo.
Captiuus inde (ceu solent qui ad nuptias)
Alacer, anhelus anteuertere ad crucem,
Vixque præeuntem Lictor aut plebs assequi.
Dynasta doctus, quid hominis tandem siet,
Quàm chara Superis anima, quamque innoxia,
Dum proditorem repperisse se putat,
Sese ipse sensit proditum astu dæmonis.
Sed & hic vicissim est in suâ captus scrobe,
Namque liquefactâ fraude mendacissimi,
Vinclis solutis, & salutatâ cruce,
Habitâ ministris & Dynastæ gratiâ,
Iuniperus abijt victor ad Viterbios.

Ethnicus suasu coniugis Christianæ Deo Christianorum fenerans, seu peculium inter egenos partiens, ingens lucrum recipit, & inde fidem Christianam.

Ex Sophron. cap. 183.

Esse in beneficos beneficum, in pios pium,
Deo voluptas prodiga vt semper fuit,

Semper erit. Experire, quisquis ambigis.
  Expertus olim est Christianâ coniuge
Vir ethnicismi nubibus circumdatus;
Nequedum potitus lucis; haud aliàs malus,
Neque, Christiana vellicando dogmata,
Trahere aliorsum nisus vxorem fuit;
Suum, vt lubebat, coleret, oraret Deum;
Suos & ipse coluit, orauit deos.
  Sed dum illa fuso tortili linum rotans,
Vel aliud operis muliebri mouens manu,
Vel ostiatim buculæ lac venditans,
Parum lucelli quotdiebus conderet;
Vir quoque lucrando perdius pernox erat,
Aut vetera veteramenta vicatim sonans,
Aut duriore dente lanam carminans,
Aut coria concinnabat, aut femoralia
Interpolabat obsoleta; cetera
Egenus opifex, & diurno victitans.
  Tandemque post sudoris emissi cados,
Vt arena arenæ iuncta collem parturit,
Vt stilla stillam consequens vrnam replet,
Sic obolus obolo, sic & assi iunctus as,
Cumulum crearant paruulum pauperculis.
Didrachma quinquagena comparauerant.
Erant dioboli aut trioboli pænè omnia.
O summa Crœso digna vel Atabalipâ!
O digna denis mancipari pessulis!
Vix computandæ par pauimentum fuit.
  Quadam ante prunas vesperâ dum consident,
Memor senectæ, timidus indigentiæ,
Vir fessus & subæger hæc ad coniugem:
„ Quàm metuo, nostrum ne latrones ossei
„ (Den-

» (Dentes vocabat) diſſipent peculium
» Senſim abſque ſenſu, dumque venerint tibi
» Et mihi capillus niueus, ac anni graues,
» Ingruat egeſtas & mihi & tibi grauis.
» Quid ſi hoſce nummos, aliquod vt fenuſculum
» Pariant quotannis, in Trapezitæ domum
» Deferimus? Audit vxor, ac oculo virum
Animoque molli contuens, hæc intulit:
» Quidni hoſce nummos Chriſtianorum Deo
» Offerimus? ille fenoris nos centupli
» Cenſu beabit. Chriſtianorum Deo?
» Reddit maritus. Quo locorum aut gentium
» Dabis repertum? Sequere, correptum manu
Trahit vxor elocuta, tum rectiſſimà
Veſtibulum ad ipſum ducit Aedis maximæ,
Huc, vbi Senatus Principum denſus coit,
Senatus, inquam, pauperum, ſubſellijs
Quà ſaxeis, quà ligneis, quà carneis
Vtrimque valuas obſidens, longâ manu,
Linguaque longiore tranſgredientium
Flagellat aures, & crumenas vellicat.
» En, inquit illa, Chriſtianorum Deus
» Hos dudum amicos & domeſticos habet,
» Hos & ſuos ſubinde germanos vocat.
» Quod his inopibus dederis, huic datum puta,
» Etiam ante lapſi temporis fixas moras
» Largo is reponet fenore. Actutum bonus
Faciliſque nummos haurit è marſupio,
Et mox viritim cuique flagitantium
(Fòrs capita quinquagena tum conſederant)
Solidum didrachmon cœpit effuſus dare.
Sic ſua marito prodigente, liquidiùs

Lætante mulier exilibat pectore.
Volupe erat exaudire mendicantium
Bona vota, plausus, gaudium, præconia
Tam beneuolentis tamque munificæ manus.
„ O diues isti fenus accumulent dij!
„ O, inquiebat alter, adueniant mihi
„ Ter mille, qualis ille! Regressi domum,
In opera pro se vterque redeunt commoda,
Dominoque lucro vel lucello seruiunt,
Vt inane rursum farciant marsupium.
Per alta cæli spatia mense tertio
Iam curru & auro Phœbus aurigauerat,
Quando, vt subinde sueuit, exili lucro
Frigebat officina, peiori foco
Frigebat & culina, nilque fenebre,
Ne vel trientem feneratori suo
Domum afferebat Christianorum Deus.
Hæc ille scalpto capite, fronte nubilâ,
Mente caperatâ coniugi probro dabat.
At melior augur vxor, & pollens fide,
„ Age, inquit; Aedem repete, fortè debitor
„ Rependet aliquid fenoris Deus tibi.
Redit ad Tribunos Plebis, intercedere
Pro plebe solitos, Pauperes; si mauelis,.
Redit ad Senatum; & ecce Conscripti Patres
Suo è theatro munerarium suum
Vt eminus vidêre, spe pinguissimi,
Paratiorem quàm antè porrigunt manum;
Sed est recipere quàm dare hic paratior,
Templumque sacco manibus immersis init.
Dumque huc & illuc spectat, an fors depluet
Alicunde fenus, nummus en argenteus

Hum

Humi recumbens, vt leuetur, innuit.
Et leuat, & aufert, & reuiſens coniugem,
„ Vbi tuus aut dormitet, aut vigilet Deus,
„ Neſcio, ait; illud, quàm velim, magis ſcio,
„ Me in vaſa noſtram condidiſſe pecuniam
„ Pertuſa, conſultrice te. Verùm vide,
„ Vt repperi vnum de didrachmis nuperis,
„ Quibus beaui pauperes, auctore te?
Id conſpicata mulier, acceptum Deo
Haud mora referre ſatagit, & virum ſpei
(Fore vt is ſecundet vota) complet optimæ.
Rogat, in macellum vt tendat obſonarier,
Lymphæque potæ iam diu ſatur, ſibi
Aliquid Iacchi & Cereris albæ comparet,
Vice furfuroſæ, quâ famem fefellerant
Modò ſeſquimenſem. Pergit in Piſcarium,
Et functus obſonantis officio probè,
Piſcem hinc coëmptum coniugi refert celer.
Deſquammat, aluum pandit, ac exenterat,
Interque, ſtomacho quæ latebant, abdita
Vxor lapillum reperit; affrictu leui
Repentè gemma ridet. Oſtentat viro;
Tractant viciſſim, vixque pluris æſtimant
Quàm delicatioris vnguem marmoris.
Abaco recondunt, dein cibo expungunt famem.
Menſâ remotâ, ventre placidiuſculo,
Adit ille, monitu coniugis, Gemmarium,
Scitatur, Anne redimere lapillum velit
Haud inuenuſtum? Mercis intuitu breui
Perfacilè mango, quid valeret, olfacit;
„ Neſcire fingens; Si placent, argentea
„ En tibi didrachma quinque, dixit. Venditor

Repentè vegetus, alacer, explorans pedem,
Sese ipse miratur Leo, at medicum magis,
Cui mox honoris atque mercedis vice
Manus ſuauiatur, ac lambit pedes.
Poſt obligatam ritè plantam faſciâ,
In ſua Leonem ſaluum & incolumem iubet
Abire demum Geraſimus, dicto vale.
Sed Leo valere poſſe nuſpiam ratus,
Ni ſibi Machaon ſemper aſſoret ſuus,
Iubet valere potiùs ac remotiùs
Feras, ferarum teſqua, prædas, pabula,
Et ſe benefico contubernalem vouet:
In clauſtra reducem ſequitur; hîc & viuere,
Hîc & profeſſus eſt mori. Placet Patri,
Placetque Monachis hic alumnus omnibus.
Inſtar moloſſi cicuris huc illuc domi
Vagatur inſons, & modeſtus, & probus.
Erat hîc Aſellus abs aquâ, à plauſtro, à molâ,
Abs onere vario, à pedibus, à tergo bonus,
Nec inuenuſtâ pelle. Taurum crederes,
Si prominerent fronte tauri cornua.
Huic pædagogus cum poteſtate arduâ
Fiduſque cuſtos eſt datus domnus Leo,
Ne qua fera, ne quis prædo fòrs abduceret
Remotiora deſtinatum in paſcua.
Dum veſper appetebat, ilicet domum
Ductu Patroni ſe recipiebat cliens
Auritus, ad iubentis imperium volans
Timore ferulæ. namque ſi domi aut foris
Hic frater Aſinus fieret aut petulcior,
Si ruderet, aut rideret impetuoſiùs,
Caudâ Magiſtri vapulabat aſperâ,

Dum

Dum nebula passim manè quoddam cingeret,
Et pasceretur hinc Asellus, hinc Leo
Excubitor esset, aut sopori hic se dedit,
Aut nemora subijt à cliente longiùs;
En cum camelis institor Arabs transmeans,
Intuitus asinum præstò, prædam credidit;
Nec mora, capistro corripit, iungit suis,
Oneratque sacco farris, ac transit celer.
Frustrà hinc & inde rugiens Asinum vocat
Leo regressus: auolare didicerat
Inuitus. Ergo solus ad lares abit
Sollicitus, aure pendulâ, plenissimus
Pudoris ac timoris, vt pueros vides
(Si quando repetunt perdito ædes pileo,
Aut si amphoram fregêre) maternas manus
Metuere. Postquam jam sepulto vespere
Nec rudere vsquam, nec redire cernitur
Arcadia proles; augur aduersæ rei
Gerasimus, oculo pertinace verberans
Timidum Leonem, criminisque conscium,
» Hæc ore fatur duriore: Nempe huic
» Committe, si quid ritè seruatum velis,
» Si non peremptum, in frusta discerptum velis.
» Siccíne vorasti, parricida, quem tuæ
» Fidei volueram creditum? (visus Leo
Motu iubarum crebriore funditus
» Facinoris id negare.) Tu pœnas dabis,
» Quas promereris improbe, & longas dabis,
» Asini deinceps instar afferes aquam,
» Molamque vertes, & foras fimum vehes,
» Frequensque vapulabis. Annuens Leo,
Sesèque profitens negligentiæ reum,

Armos oneribus atque verberibus parat.
Exinde iussus esse clitellarius,
Et esse dorsuarius molariusque,
Obit asinina munera impigerrimus.
Post onera sæpè aduecta, post multas aquas,
Comite aliorsum fortè digresso, ad suos
Remeabat ab Iordane, vase aquario
Onustus; eccum occurrere plagiarium,
Eccum Araba, nostri furem aselli, cum suis
Rursum camelis hac reuortentem viâ.
Elatâ odorâ nare persentit prior
Asinus leonem, dein propinquantem videns,
Pæana læto ruditu canit nouum.
At vt ingruentem cernit institor feram,
Asinum, camelos, onera deserit citus,
Suamque pellem pluris æstimans, fugit,
Fugiuntque socij: cum salute plurimâ
Confestim asellus ad leonem conuolat,
Ecquî valeret sciscitans ridentibus
Latè labellis. Interim vincti simul
Restant cameli furis, immemores fugæ.
Hos leo prehenso fune compellit sequi,
Asinum præire, qui suâ actutum tubâ
Dominos monere cœpit eminus suos,
Sint vt triumpho, si luberet, obuij.
Sic liberato ciue, fusis hostibus,
Pugnâ incruentâ, farre multo, baiulis
Spoliisque partis, ad senem lætus redit
Leo triumphans, querneam atque myrteam
Meritus coronam. Gerasimus suum libens
Famulum receptat, dein leonem crimine
Ac onere soluit; inde fœno pristino
Asinum

Asinum redonat, qui suam repetens domum,
Oblita nondum munera resumit volens.
Nusquam Arabe viso far abijt in horreum,
In haram cameli. Dixit arridens senex:
„ Nisi periisset, perierat asinus meus,
„ Qui captus, huius ansa capturæ fuit.

B. VVerricus Alnensis Monasterij Prior, mirè in pauperes benignus, ab anu mendicâ sæpè fallitur.

Ex Hist. Cistertien. Abbatis d'Assignies.

ALna ad Thuinum in Belgicâ, Cistertij
Felix propago, nobile asceterium est.
Werricus Alnæ Magnus, vt vocant, Prior,
Magnus Eleëmon nuncupari dignior,
Suas lacernas, calceos & pileos,
Et dum patebant horreum, cella, aut penu,
Carnes, farinam, pisa clàm furto pio
Inopibus erogabat effusissimus.
Tacitus videbat, & probabat conscius,
Oculoque conniuebat Antistes bono.
Si, dum negotij gratiâ expedit viam
Vectus equo, egenos fòrs haberet obuios,
Equus equitantis indolem doctus probam,
Gradu represso sponte sistebat, moram
Daret vt Magistro, quâ crumenam panderet:
Abibat alacer ventilatis auribus,
Vbi liberalem viderat stipem dari.
Dum fortè in ipsis foribus affatu pio
Werricus & matrona mentem mutuam,

Armos oneribus atque verberibus parat.
Exinde iussus esse clitellarius,
Et esse dorsuarius molariusque,
Obit asinina munera impigerrimus.
Post onera sæpè aduecta, post multas aquas,
Comite aliorsum fortè digresso, ad suos
Remeabat ab Iordane, vase aquario
Onustus; eccum occurrere plagiarium,
Eccum Araba, nostri furem aselli, cum suis.
Rursum camelis hac reuortentem viâ.
Elatâ odorâ nare persentit prior
Asinus leonem, dein propinquantem videns,
Pæana læto ruditu canit nouum.
At vt ingruentem cernit institor feram,
Asinum, camelos, onera deserit citus,
Suamque pellem pluris æstimans, fugit,
Fugiuntque socij: cum salute plurimâ
Confestim asellus ad leonem conuolat,
Ecquî valeret sciscitans ridentibus
Latè labellis. Interim vincti simul
Restant cameli furis, immemores fugæ.
Hos leo prehenso fune compellit sequi,
Asinum præire, qui suâ actutum tubâ
Dominos monere cœpit eminus suos,
Sint vt triumpho, si luberet, obuij.
Sic liberato ciue, fusis hostibus,
Pugnâ incruentâ, farre multo, baiulis
Spoliisque partis, ad senem lætus redit
Leo triumphans, querneam atque myrteam
Meritus coronam. Gerasimus suum libens
Famulum receptat, dein leonem crimine
Ac onere soluit; inde fœno pristino

Asinum

Aſinum redonat, qui ſuam repetens domum,
Oblita nondum munera reſumit volens.
Nuſquam Arabe viſo far abijt in horreum,
In haram cameli. Dixit arridens ſenex:
„ Niſi periiſſet, perierat aſinus meus,
„ Qui captus, huius anſa capturæ fuit.

B. VVerricus Alnenſis Monaſterij Prior, mirè in pauperes benignus, ab anu mendicâ ſæpè fallitur.

Ex Hiſt. Ciſtertien. Abbatis d'Aſſignies.

ALna ad Thuinum in Belgicâ, Ciſtertij
Felix propago, nobile aſceterium eſt.
Werricus Alnæ Magnus, vt vocant, Prior,
Magnus Eleëmon nuncupari dignior,
Suas lacernas, calceos & pileos,
Et dum patebant horreum, cella, aut penu,
Carnes, farinam, piſa clàm furto pio
Inopibus erogabat effuſiſſimus.
Tacitus videbat, & probabat conſcius,
Oculoque conniuebat Antiſtes bono.
Si, dum negotij gratiâ expedit viam
Vectus equo, egenos fòrs haberet obuios,
Equus equitantis indolem doctus probam,
Gradu repreſſo ſponte ſiſtebat, moram
Daret vt Magiſtro, quâ crumenam panderet:
Abibat alacer ventilatis auribus,
Vbi liberalem viderat ſtipem dari.
Dum fortè in ipſis foribus affatu pio
Werricus & matrona mentem mutuam,

Semper erit. Experire, quiſquis ambigis.
Expertus olim eſt Chriſtianâ coniuge
Vir ethniciſmi nubibus circumdatus,
Nequedum potitus lucis; haud aliàs malus,
Neque, Chriſtiana vellicando dogmata,
Trahere àliorſum niſus vxorem fuit;
Suum, vt lubebat, coleret, oraret Deum;
Suos & ipſe coluit, orauit deos.
Sed dum illa fuſo tortili linum rotans,
Vel aliud operis muliebri mouens manu,
Vel oſtiatim buculæ lac venditans,
Parum lucelli quotdiebus conderet;
Vir quoque lucrando perdius pernox erat,
Aut vetera veteramenta vicatim ſonans,
Aut duriore dente lanam carminans,
Aut coria concinnabat, aut femoralia
Interpolabat obſoleta; cetera
Egenus opifex, & diurno victitans.
Tandemque poſt ſudoris emiſſi cados,
Vt arena arenæ iuncta collem parturit,
Vt ſtilla ſtillam conſequens vrnam replet,
Sic obolus obolo, ſic & aſſi iunctus as,
Cumulum crearant paruulum pauperculis.
Didrachma quinquagena comparauerant.
Erant dioboli aut trioboli pænè omnia.
O ſumma Crœſo digna vel Atabalipâ!
O digna denis mancipari peſſulis!
Vix computandæ par pauimentum fuit.
Quadam ante prunas veſperâ dum conſident,
Memor ſenectæ, timidus indigentiæ,
Vir feſſus & ſubæger hæc ad coniugem:
„ Quàm metuo, noſtrum ne latrones oſſei
„ (Den-

» (Dentes vocabat) dissipent peculium
» Sensim absque sensu, dumque venerint tibi
» Et mihi capillus niueus, ac anni graues,
» Ingruat egestas & mihi & tibi grauis.
» Quid si hosce nummos, aliquod vt fenusculum
» Pariant quotannis, in Trapezitæ domum
» Deferimus? Audit vxor, ac oculo virum
Animoque molli contuens, hæc intulit:
» Quidni hosce nummos Christianorum Deo
» Offerimus? ille fenoris nos centupli
» Censu beabit. Christianorum Deo?
» Reddit maritus. Quo locorum aut gentium
» Dabis repertum? Sequere, correptum manu
Trahit vxor elocuta, tum rectissimà
Vestibulum ad ipsum ducit Aedis maximæ,
Huc, vbi Senatus Principum densus coit,
Senatus, inquam, pauperum, subsellijs
Quà saxeis, quà ligneis, quà carneis
Vtrimque valuas obsidens, longâ manu,
Linguaque longiore transgredientium
Flagellat aures, & crumenas vellicat.
» En, inquit illa, Christianorum Deus
» Hos dudum amicos & domesticos habet,
» Hos & suos subinde germanos vocat.
» Quod his inopibus dederis, huic datum puta,
» Etiam ante lapsi temporis fixas moras
» Largo is reponet fenore. Actutum bonus
Facilisque nummos haurit è marsupio,
Et mox viritim cuique flagitantium
(Fòrs capita quinquagena tùm consederant)
Solidum didrachmon cœpit effusus dare.
Sic sua marito prodigente, liquidiùs

Lætante mulier exilibat pectore.
Volupe erat exaudire mendicantium
Bona vota, plausus, gaudium, præconia
Tam beneuolentis tamque munificæ manus.
„ O diues isti fenus accumulent dij!
„ O, inquiebat alter, adueniant mihi
„ Ter mille, qualis ille! Regressi domum,
In opera pro se vterque redeunt commoda,
Dominoque lucro vel lucello seruiunt,
Vt inane rursum farciant marsupium.
Per alta cæli spatia mense tertio
Iam curru & auro Phœbus aurigauerat,
Quando, vt subinde sueuit, exili lucro
Frigebat officina, peiori foco
Frigebat & culina, nilque fenebre,
Ne vel trientem feneratori suo
Domum afferebat Christianorum Deus.
Hæc ille scalpto capite, fronte nubilâ,
Mente caperatâ coniugi probro dabat.
At melior augur vxor, & pollens fide,
„ Age, inquit; Aedem repete, fortè debitor
„ Rependet aliquid fenoris Deus tibi.
Redit ad Tribunos Plebis, intercedere
Pro plebe solitos, Pauperes; si mauelis,
Redit ad Senatum; & ecce Conscripti Patres
Suo è theatro munerarium suum
Vt eminus vidêre, spe pinguissimi,
Paratiorem quàm antè porrigunt manum;
Sed est recipere quàm dare hic paratior,
Templumque sacco manibus immersis init.
Dumque huc & illuc spectat, an fòrs depluet
Alicunde fenus, nummus en argenteus
Hun

Humi recumbens, vt leuetur, innuit.
Et leuat, & aufert, & reuisens coniugem,
» Vbi tuus aut dormitet, aut vigilet Deus,
» Nescio, ait; illud, quàm velim, magis scio,
» Me in vasa nostram condidisse pecuniam
» Pertusa, consultrice te. Verùm vide,
» Vt repperi vnum de didrachmis nuperis,
» Quibus beaui pauperes, auctore te?
Id conspicata mulier, acceptum Deo
Haud mora referre satagit, & virum spei
(Fore vt is secundet vota) complet optimæ.
Rogat, in macellum vt tendat obsonarier,
Lymphæque potæ iam diu satur, sibi
Aliquid Iacchi & Cereris albæ comparet,
Vice furfurosæ, quâ famem fefellerant
Modò sesquimensem. Pergit in Piscarium,
Et functus obsonantis officio probè,
Piscem hinc coëmptum coniugi refert celer.
Desquammat, aluum pandit, ac exenterat,
Interque, stomacho quæ latebant, abdita,
Vxor lapillum reperit; affrictu leui
Repentè gemma ridet. Ostentat viro;
Tractant vicissim, vixque pluris æstimant
Quàm delicatioris vnguem marmoris.
Abaco recondunt, dein cibo expungunt famem.
Mensâ remotâ, ventre placidiusculo,
Adit ille, monitu coniugis, Gemmarium,
Scitatur, Anne redimere lapillum velit
Haud inuenustum? Mercis intuitu breui
Perfacilè mango, quid valeret, olfacit;
» Nescire fingens; Si placent, argentea
» En tibi didrachma quinque, dixit. Venditor

Attonitus, & se risui ratus dari,
„ Tanti licêris? inquit. Hoc ironico
Dictum inuolucro credit & Gemmarius,
„ Loculosque reserans, En, ait, decem, ac abi.
Ludibria rursum is veritus, vt pisces, silet.
Sed dum emptor inhiat, & didrachma protinus
Vicena, dein tricena, plus tandem duplo
Iuratus etiam se daturum, seriò
Venditor odorans rem geri, rem seriò
(Licet nouare verba) seriαϊάτως.
Et ipse gerere commodo incepit suo,
Pretiumque duxit in didrachma argentea
Ter bella centum. Nec moram solutio,
Nec reditus habuit; hinc modò is perniciter,
„ Vt quatior, vt dissoluor, vt totus fluo
„ Lætitiâ, eundo clamitans. Vxor rata
Vno alteróve venditam teruncio,
Obstupuit, vt didrachma ter centum sibi
Delata coràm sensit, eaque argentea:
„ O mi marite, cernis, exclamat, tibi
„ Quàm se beneficum Christianorum Deus
„ Præstiterit, inopes dum tuo peculio
„ Leuare, me suadente, collibitum fuit!
„ Apage deorum fascinos mendacium,
„ Vnumque rerum Principem Deum cole.
Annuit, & vndâ Christianâ lotus est,
Gratesque retulit coniugi, grates stipi.
„ O fenus ingens stips egeno credita!

S. Ge-

S. Gerasimus Abbas è leonis pede spinam eruit, qui ei deinde omne defert obsequium; asinum etiam domesticum seruat, ac denique deperditum recuperat.

Ex Prato Sophron.

DVm solus astra cogitans Abbas pius
Gerasimus vndas adlegit Iordanias,
En leo propinquans, claudus, ac librans pedem
Tumore fœdum, puris integrum penu.
Spinæ malignæ cuspis imos musculos
Ingressa pertinaciùs, noctu diu
Dolore lancinabat implacabili.
Hinc ille nemorum peruagatus abdita,
Cruciabat auras improbis rugitibus.
Ast vbi Gerasimum conspicatus obuium est,
En medicus, inquit voce quâ fari solent
Secum leones: inde plantam celsiùs
Tollens medendam, fit propinquior seni;
Qui ne vel hilum trepidus, Ecquid sit, rogat,
Cur in vlulatus tam inuerecundos ruat.
Leo flexus aures poplitemque dexterum,
Medico sinistri porrigit pedis volam,
Plagamque monstrat, & medelam flagitat.
Senex virenti cespiti insidens, manu
Plantam prehendit, quáque liuida est premit,
Ferâ subinde vel tremente, vel retrò
Cedente: tandem pollice impacto salit
Nefanda sanies, e-que-ductâ cuspide
Eductus omnis exit in ventos dolor.

Repentè vegetus, alacer, explorans pedem,
Sese ipse miratur Leo, at medicum magis,
Cui mox honoris atque mercedis vice
Manus suauiatur, ac lambit pedes.
Post obligatam ritè plantam fasciâ,
In sua Leonem saluum & incolumem iubet
Abire demum Gerasimus, dicto vale.
Sed Leo valere posse nuspiam ratus,
Ni sibi Machaon semper afforet suus,
Iubet valere potiùs ac remotiùs
Feras, ferarum tesqua, prædas, pabula,
Et se benefico contubernalem vouet:
In claustra reducem sequitur; hîc & viuere,
Hîc & professus est mori. Placet Patri,
Placetque Monachis hic alumnus omnibus.
Instar molossi cicuris huc illuc domi
Vagatur insons, & modestus, & probus.
Erat hîc Asellus abs aquâ, à plaustro, à molâ,
Abs onere vario, à pedibus, à tergo bonus,
Nec inuenustâ pelle. Taurum crederes,
Si prominerent fronte tauri cornua.
Huic pædagogus cum potestate arduâ
Fidusque custos est datus domnus Leo,
Ne qua fera, ne quis prædo fòrs abduceret
Remotiora destinatum in pascua.
Dum vesper appetebat, ilicet domum
Ductu Patroni se recipiebat cliens
Auritus, ad iubentis imperium volans
Timore ferulæ. namque si domi aut foris
Hic frater Asinus fieret aut petulcior,
Si ruderet, aut rideret impetuosiùs,
Caudâ Magistri vapulabat asperâ,

Dum

Dum nebula passim manè quoddam cingeret,
Et pasceretur hinc Asellus, hinc Leo
Excubitor esset, aut sopori hic se dedit,
Aut nemora subijt à cliente longiùs;
En cum camelis institor Arabs transmeans,
Intuitus asinum præstò, prædam credidit;
Nec mora, capistro corripit, iungit suis,
Oneratque sacco farris, ac transit celer.
Frustrà hinc & inde rugiens Asinum vocat
Leo regressus: auolare didicerat
Inuitus. Ergo solus ad lares abit
Sollicitus, aure pendulâ, plenissimus
Pudoris ac timoris, vt pueros vides
(Si quando repetunt perdito ædes pileo,
Aut si amphoram fregêre) maternas manus
Metuere. Postquam jam sepulto vespere
Nec rudere vsquam, nec redire cernitur
Arcadia proles; augur aduersæ rei
Gerasimus, oculo pertinace verberans
Timidum Leonem, criminisque conscium,
» Hæc ore fatur duriore: Nempe huic
» Committe, si quid ritè seruatum velis,
» Si non peremptum, in frusta discerptum velis.
» Siccíne vorasti, parricida, quem tuæ
» Fidei volueram creditum? (visus Leo
Motu iubarum crebriore funditus
» Facinoris id negare.) Tu pœnas dabis,
» Quas promereris improbe, & longas dabis,
» Asini deinceps instar afferes aquam,
» Molamque vertes, & foras fimum vehes,
» Frequensque vapulabis. Annuens Leo,
Sesque profitens negligentiæ reum,

Armos oneribus atque verberibus parat.
Exinde iuſſus eſſe clitellarius,
Et eſſe dorſuarius molariuſque,
Obit aſinina munera impigerrimus.
Poſt onera ſæpè aduecta, poſt multas aquas,
Comite aliorſum fortè digreſſo, ad ſuos
Remeabat ab Iordane, vaſe aquario
Onuſtus; eccum occurrere plagiarium,
Eccum Araba, noſtri furem aſelli, cum ſuis.
Rurſum camelis hac reuortentem viâ.
Elatâ odorâ nare perſentit prior
Aſinus leonem, dein propinquantem videns,
Pæana læto ruditu canit nouum.
At vt ingruentem cernit inſtitor feram,
Aſinum, camelos, onera deſerit citus,
Suamque pellem pluris æſtimans, fugit,
Fugiuntque ſocij: cum ſalute plurimâ
Confeſtim aſellus ad leonem conuolat,
Ecquî valeret ſciſcitans ridentibus
Latè labellis. Interim vincti ſimul
Reſtant cameli furis, immemores fugæ.
Hos leo prehenſo fune compellit ſequi,
Aſinum præire, qui ſuâ actutum tubâ
Dominos monere cœpit eminus ſuos,
Sint vt triumpho, ſi luberet, obuij.
Sic liberato ciue, fuſis hoſtibus,
Pugnâ incruentâ, farre multo, baiulis
Spoliiſque partis, ad ſenem lætus redit
Leo triumphans, querneam atque myrteam
Meritus coronam. Geraſimus ſuum libens
Famulum receptat, dein leonem crimine
Ac onere ſoluit; inde fœno priſtino
Aſinum

Asinum redonat, qui suam repetens domum,
Oblita nondum munera resumit volens.
Nusquam Arabe viso far abijt in horreum,
In haram cameli. Dixit arridens senex:
„ Nisi periisset, perierat asinus meus,
„ Qui captus, huius ansa capturæ fuit.

B. VVerricus Alnensis Monasterij Prior, mirè in pauperes benignus, ab anu mendicâ sæpè fallitur.

Ex Hist. Cistertien. Abbatis d'Assignies.

ALna ad Thuinum in Belgicâ, Cistertij
Felix propago, nobile asceterium est.
Werricus Alnæ Magnus, vt vocant, Prior,
Magnus Eleëmon nuncupari dignior,
Suas lacernas, calceos & pileos,
Et dum patebant horreum, cella, aut penu,
Carnes, farinam, pisa clàm furto pio
Inopibus erogabat effusissimus.
Tacitus videbat, & probabat conscius,
Oculoque conniuebat Antistes bono.
Si, dum negotij gratiâ expedit viam
Vectus equo, egenos fòrs haberet obuios,
Equus equitantis indolem doctus probam,
Gradu represso sponte sistebat, moram
Daret vt Magistro, quâ crumenam panderet:
Abibat alacer ventilatis auribus,
Vbi liberalem viderat stipem dari.
Dum fortè in ipsis foribus affatu pio
Werricus & matrona mentem mutuam,

Hæc audiendo,& ille fando,paſcerent,
En vetula lacera,macra (vix adipis habens
Quantum in iuglandis nucleo conſiſteret,
Sed fraudis & malignitatis affatim,
Quantum in apothecâ vulpis annoſiſſimæ)
Tremulam Priori tendit ad ſtipem manum.
Is tunc in arcto commodùm marſupio
Senos gerebat nummulos,in pauperum
Primas ituros dexteras,vt ſors daret.
Primum itaque crebræ prodromum ſtipis foras
Promit diobolum,& poſtulanti porrigit;
Pia proſecutus inde matronæ aſſidet.
Agiliter habitis,vt valebat,gratijs
Abit anus,atque in angiportum proximum
Diuerſa,ſemicinctio obnubit caput
Veli inſtar,& regreſſa rurſum flagitat.
Haud mora,ſecundus è crumenâ nummulus
Manu Prioris exilit.Sed anicula
Vix quinque talum mòrat illinc paſſibus;
Velo remoto,poſt perexiguam moram
Repedat eódem,ſeſquicubito ſe minor;
Nam curua totum pectus,in tergo vehit
Citò procreatum gibberum:quem conſpicans
Werricus,haud moratus,hanc & tertio
Donat diobolo,fraude captus tertiâ.
Adire ſimulans alteras anus fores,
Mox gibbera eſſe deſijt,Vulcanio
De grege videri derepentè maluit,
Namque hinc & inde clauda formoſiſſimè,
(Quod vtrimque claudi claudicando clamitant,
Et hoc & illud mundi clima ſunt mea)
Id ipſa iam reuerſa dixit ianuæ,

Et

Et hic & iſte poſtis eſt etiam meus.
Bona verba dum propinat intereà Prior
Piæ mulieri, nec malignæ os agnitum,
Neque fraus aperta eſt. Ergo quartum nummulum
Abire mandat in petacem dexteram.
Peracta nondum eſt tota viſceratio;
Duo botelli ſunt ſuper; vt hos deuoret,
In vetere cerebro cuditur dolus nouus.
Eadem nec eadem ad ianuam quintùm redux,
Obſtipum in humero ritè reſupinat caput,
Naſumque torquens, arte ſe ſtrabam facit.
Dum manè pedibus calceos circumdamus,
Subinde læuo dexterum ingerimus pedem,
Dextroque læuum calceo; ſic callida
Solerter oculos calceauit, dextero vt
Siniſtra cerneret, & ſiniſtro dextera.
Strabo ipſe quondam haud verior fuit ſtrabo.
Werricus, eſto lynx foret, cognoſcere
Haud potuit iſtam conſobrinam Protei:
Hinc & volûcris quinta de nido ſuo,
Diobolus, inquam, pænè-reſtans-vltimus,
Vetulæ celeruis euolauit in ſinum.
Inde illa vicum vix propinquum iniuerat,
Quando ſupremam comminiſcitur ſtropham,
Rediensque ſeſe luminibus orbam exhibet,
Et albicantes palpebras ſurſum rotans,
Gemitum canorum iactat, vt cæci aſſolent,
Veſtibulo in ipſo: non diu cæcam tulit
Werricus occlamare: mox marſupium
Spoliat ſupremo ſpiritu. Non eſt, ait,
Quod dem aliud; alias inopiâ pares tibi
Iam iamque paruo ſubleuaui, vt fas fuit.

Exenteratam hæc, sentiens crumenulam,
Sextumque victrix fraude, repetijt suos.
Si mille formis se induisset hæc anus,
Et mille nummos repperisset se penes
Werricus, effudisset in aduncas manus.
„ Oculata non est sancta liberalitas:
„ Falli præoptat centies, quàm vnum vnicum
„ Fallere negando, cui negatum haud debuit.
„ Ne fortè Dominus sit meus, qui opem petat,
„ Seu petere simulet, fallar & fallar volens,
„ Aiebat ille, quem charactere aureo
„ Aere in perenni sempiternæ memoriæ
„ Sculpsit Vetustas iure summum Eleëmona.

S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus duobus cæcis inopiam simulantibus pecuniam pileis insutam aufert, & viro pio verè egenti confert.

Ex eius Vitâ.

Bellæ gerebat infulas Florentiæ,
Qui dictus Antoninus ex Antonio est:
Pusillus etenim membra vix homulus fuit,
At sanctitate celsus & scientiâ.
Tum fortè ciues inter, vt frequens solet,
Vir erat honestæ quispiam propaginis,
Sed inops, sed arcta cui supellex in lare,
Et arctior crumena, quodque infaustius,
Feminea soboles multa, & illa nubilis.
Extrema tandem veritus, at veritus magis
Scelus

Scelus pudendum, filiarum dedecus,
Probrum familiæ, ad Præſulem ſupplex adit,
Ferat vt egeni rebus afflictis opem.
  Quid parturiret Christipara fauſtæ rei,
Præſagus Antoninus, auctor eſt viro,
Vt Diuæ in Aedem ſe precaturus ferat
Frequens, frequenſque manè primo, vel priùs
Quàm manè primo ſtellæ Olympo dent vale.
  Hîc orbe toto celebris in rariſſimis
Spectatur icon Virginis (vulgò vocant)
Annuntiatæ: Thaumaturgam nuncupo;
Adeò ipſa crebris inclyta eſt miraculis.
  Is ergo monitis obſequens templum ſubit,
Iconi beatæ ſe ſuaſque lacrymans
Commendat, orans vrget, inſtat obſecrans:
Quin ſancta repetat Adyta, nulla lux abit;
Quin & frequentet vota, nulla lux abit.
Iriſque tandem ſperat auditum preces,
Lacrymaſque viſum, & collocatum filias.
  Nec ſua fefellit ſpes virum. Illò venerat
Pro more matutinus, & ſolito magis:
Nactus etiam tum fortè valuas cardini
Indormientes: ſupplicabundus ſilet,
Preceſque tacitas fundit hoc in limine.
  En tibi, tenêbras inter, aduentant duo
Tenebriones, quos vel vxor, vel canis,
Vel aliqua proles ad ſtipem deduxerat
Huc corrogandam. Cæci erant mendiculi,
Qui iam tot annos cum phalange pauperum
Coire ſoliti, triuerant hæc atria
Sedendo, non intrando, quiſque ineuntium
Abeuntiumque perſonantes auribus,

Graphi-

Graphicis inopiam expresserant suam modis.
Foribus propinqui nunc erant:exin domum
Redire iussis ducibus,ipso etiam cane,
Ne arcana prodat,alter alterum sedent
Aduersus,ac deinde se solos rati,
Primas rependunt gratias heræ suæ
(Simulatæ inopiæ) iam diu sibi ac suis
Heræ fideli ac prouidæ,cuius manu,
Cuius ope tantas concatenassent opes,
Quas pileo,quas pallio insutas suo
(Et fortè braccis) nunc haberent abditas.
Exaudiebat noster orans proximè
Secreta cæci verba quæ inter se dabant,
Et quæ dedêre porrò,pronioribus
Excipere pergit auribus propinquior,
Inter & vtrumque pænè medius. Interim
Illi sonorâ voce,dum nullum vident,
Nullum & verentur arbitrum,sic colloqui.
1. *Cæc* Si,ô Typhle,nosses, quàm mihi,quem nunc gero,
Galerus auro sit grauis? 2. *Cæc.* Eho tu quoque
Si,Homere,nosses,quàm mihi sudet caput
Bellis sub aureis,quos meo contexui
A summo ad imum,pol doleres,& meo
Pol inuideres. 1. *Cæc.* Dic age tuam per fidem,
Quot capite gestas aureos? 2. *Cæc.* I præ,sequar,
Prior ipse nummos tu tuos edissere.
Vix hic profari cœperat,cùm perleuis
Sonus icit aures;namque vespertilio
Nescio quis auras permeans instrepuerat.
Siluêre derepentè,ne quis conscius
Foret suarum,quas coëgerant,opum.

Pulso

Pulſo dein timore, rurſus ad ſuos
Redeunt galeros & galerorum incolas,
Quos iam remotis indicant ambagibus.
1. *Cæc.* Non inuidebis, non dolebis, ô Typhle?
In hocce nido, qui mihi comam tegit,
Lubens volenſque fateor hoſpitarier
Malâ coactos arte bis centum aureos.
2. *Cæc.* Gaudeo caleſcens in ſinu. Aedepol fuit
Mihi mea melior dextra, quàm tibi tua;
Namque arte parili ter mihi centum dedit
(Si quæ moneta eſt vſpiam) probiſſimos.
Stupebat, & ſilenter aſtans Arbiter
His indigorum, haud indigorum, fabulis,
Quid ageret, animi dubius; è veſtigio,
Quo ſtabat, his adrepit, ac celerrimâ
Mora nulla dextrâ pileum huius, alterâ
Alterius aufert, & pede fugit laneo.
Vterque tegmen capite ſenſit vt abripi,
Vtrimque clamor, ac deinde iurgium,
Et hinc duellum cæcum, & anceps, & graue
Cooritur inter hoſce Scipiadas, ſui
Dum vterque ſocium pilei rapti reum
Incuſat, auri gratiâ, quod intus eſt.
Amboque ſuperos inferos omnes vocant
Teſteſque, iudiceſque, vindiceſque. Sed
Dum prœliantes hos foris templum videt,
Pugniſque calcibuſque ſeſe tundere,
Et ſcipiones experiri mutuos,
Viſamus ecquò pileos alius gerat,
Sartos, reſartos, ac reſartos centies,
Intus adipatos & foris, teruncio
Vix æſtimandos, nec leuandos è luto.

Præ-

Præſulis ad aulam rectè adit: huic pileos
Suffarcinatos pandit, & cur, & quibus
Hos eripuerit. Ilicet mensâ ſuper
Euiſcerantur, quodq́ue ſtupeas, aurei
Aeruginoſi, mucidi, olidi, aſt aurei
Puri atque puti, queis nec hilum ſcoriæ,
Bis inde centum depluunt, & depluunt
Ter inde centum, fictæ inopiæ filij.
Id grauiter Antoninus indignans, iubet
Coràm aduocari cæca mendicabula,
Vixdum à querelis & probris pauſantia.
Vtrique tuber ictibus totum eſt caput,
Aterq́ue toto depluit naſo cruor.
Solo ergo veniunt pileati pallio.
Quid tam maligno manè Præſul ſe velit,
Mirantur; ominantur egregiam ſtipem,
Sed ô galeris perditis numquam parem!
Hîc audiêre, quæ meriti erant, nomina:
Fuci maligni, ſanguiſugæ pauperum,
Digni in triremes deſtinari pallidas,
Et dedolari terga fuſtuario.
Tandemq́ue capita perliti hoc lixiuio,
Poſt acriora in fictam inopiam fulmina,
Domum remiſſi, & pauperum ſubſellijs
Carere iuſſi, ni velint & pallia
Exenterari, & egentioribus dari
Fòrs deliteſcens pallijs peculium.
Muti recedunt, veriti id infortunium,
Præterq́ue paucos aliquod in ſolatium,
Haud redditi illis aurei, ſed pilei
Extis inanes, ac adipe ſolo graues.
Fert collocandis filiabus lætior

Delator

Delator aurum, gratijs Antistiti
Reuerenter actis. Antè sed relegens iter
In Thaumaturgæ Virginis diuos lares,
Huic, secundùm Numen, acceptam refert
Dotem suarum. Suggerente sic Deo,
Has potuit Antoninus iniustas opes
Eripere egentûm depeculatoribus,
Et meritò, egenas vt redirent in manus.
Hoc erat, acerbam quod periclitantium
Sollicita patris atque natarum vicem,
Tunc parturierat Christipara faustæ rei.

Theobaldus Largus Campaniæ Comes inopiæ duarũ virginum nobilium subuenit.

Ex P. Binet de Purgat. cap. 8.

THeobaldus olim Gallicæ Campaniæ
Potens Dynastes imperabat; is suas
Opes inopibus erogarat largiùs
Plenis quod aiunt trimodijs. Hinc nobile
Agnomen illi vulgus indigentium
Dedêre Largus. Fortè nobilium grege
Satellitumque cinctus haud modicâ manu,
Captare matutinus auram cœperat,
Cùm genibus adpressum suis sensit virum,
Virum, vt ferebat indoles, non è luto,
Non è minorum gentium subsellijs:
Frons ipsa stirpis celsioris arx erat.
Amicula ne vel ima nobilitas erant.
Ensem gerebat sub sago breuiusculo
Pensilis ab humero baltheus, sed peruetus,

Sub-

Suberant resartis ocreis calcaria
Aurata quondam, sed modò ferrum merum.
Ponè generosos poplites summiserant
Patrem secutæ, par decôrum, filiæ
Nubilibus annis virgines, queis byssina
Vestis erat, at enim trita, adesa, cui culex
Hærere nequeat: vt minoris stet coma,
His mundus omnis ipsa sola erat coma,
Parcè ac modestè torta modicâ tæniâ,
Nec vultus alio dignus ornatu; decor
Is fuit, vt Helenas, sed pudicas, diceres.
Verùm quid ille proderat mœrentibus?
Sua cogitantum fata limpidissimæ
Lacrymæ lauabant ora, virgineo pudor
Pingebat ipsa purpurisso. Nobiles
Et tam venustas esse mendicas pudet.
Tum supplicem inter medius & fortem pater
Flebilia, sed magnanima, verba protulit:
„ Munifice Princeps, facilè coniectu est tibi,
„ Mea & mearum genua strata quid velint.
„ Nobilibus olim stemmatis clarissimi,
„ Quas auus, & inde quas pater res gesserint,
„ (Nec id pigebit confiteri) & quas ego
„ Domi forisque, nulla nescit Gallia.
„ Fortuna vertit læua. Nec tota hîc sumus
„ Familia, duram nunc redacti ad manticam,
„ Heu vxor, heu fecùnda proles est domi!
„ Si verteretur causa solius mea,
„ Hanc antè diro dente linguam manderem,
„ Quàm quod ago. Viden' has (masculis suspirijs
„ Singultibusque cæsa vox interierat,
„ Nisi mox virilis suscitasset hanc vigor)

„ Vi-

,, Viden' has? inopiâ ſic volente, perdere
,, (Quid enim nouerca non iubet neceſſitas?)
,, Cogar: pudendum eſt, ſileo. Quæ pietas tua eſt,
,, Fer opem: licebit nemini opportuniùs.
Grande Theobaldi cingulo marſupium
Pendebat, orto manè farciri volens,
Volens & ortâ exenterari veſperâ,
Non vt quadrantes aut trientes nummulos
Efflaret æris, ſed ſtateras, ſed minas,
Subinde quantum Larga prenſabat manus.
Properabat ergo Principis eò dextera,
Vt quidquid auri quidquid argenti foret,
Egurgitaret fundo ab imo in pauperem,
Quando (quid etiam virulenta non iubet
Inuidia, quid non barbara inclementia?)
Artaudus aliquis, nomen infauſtum hoc erat,
Infauſtus Aulæ coruus, illum proximè
Stabat, aſininis & retortis auribus,
Oculiſque ſpectans inſtar hirci liuidis.
Nihil hic moratus, præque currens Principi,
Effando dura hæc ſupplici impegit viro:
,, Bellus homo es, infit, enſe cum tuo palàm
,, Mendicus, hoc & glorioſus baltheo,
,, Et ſericatis prolibus circumdatus,
,, Hîc delicatas porgis ad ſtipem manus.
,, Næ mihi videris eſſe velle neſcius,
,, Quò malè profuſum Principem deuoluerit
,, Inſana (dixi pænè) munificentia,
,, Quæ monte vaſto ſe æris alieni obruit,
,, Aerariumque depeculata eſt ſuum,
,, Dum mille, totos hîc dies, hirudinum
,, Harum phalange cingitur, credi vt queat

,, Tantis

„ Tantis in opibus esse tantùm non inops.
Hæc dicta Largus hausit ægris auribus,
Nec passus vltrà luridum Artaudum loqui:
„ Mentiris,& me mordet hæc calumnia,
„ Mentiris,inquam, Artaude,per rostrum tuum.
Et esto,egenis largiùs profuderim,
„ Quæ mihi dedere Cælites largissimè,
„ Grates ijsdem refero;quæ prolixiùs
„ Donem,supersunt pluria etiamnum mihi.
„ Tute ipse superes,vt mei iuris cliens.
„ Proinde iure me meo nunc abdicans,
„ Te iure eodem his dedo,mancipo,dico
„ Te,tua,tuosque,ni redemptos nunc velis
„ Nubilibus istis dote statuendâ ilicet,
„ Simul & parenti munus ingens conferas.
„ An imperatis pariturus sis meis,
„ Videsis. Misellus haud mora Artaudus domum
Suas ad aras ducit,& iubet sequi
Patremque filiasque more victimæ,
Vt dote grandi has,& patrem grandi stipe
Mactaret ipse. Doctus est damno suo
Haud præuolare iusta fandi tempora,
Doctus benignæ dexteræ pansas fores
Haud velle toruâ claudere inuidiæ serâ,
Doctus alienas proniusque quàm suas
Coràm leuare,haud eleuare miserias.
Cuncta Theobaldum Gallia in cælum tulit
Laudibus,at Aulæ ludus Artaudus fuit.

Menia-

Monialis lactucam vorans, quam signo Crucis non præmunierat, à dæmone in eâ latẽte possidetur, sed à sancto Equitio liberatur.

Ex D. Greg. Dial. lib. 1. cap. 4.

NVmerosus olim Parthenon morum integras
Noxæque puras educabat virgines,
Quas sceleris horror & voluptatum fuga
Reddiderat alto victimas votas Deo.
Huic Parthenoni non ineptè consitus
Hortus erat, olerum (pænè dicam) ciuitas.
Hinc inde porcæ, seu patentes areæ
Discriminatæ viculis (nam Regia
Via lon[illegible] lata visitur) pulegio
Pars ci[illegible] pars lauendulâ aut saturciâ,
Pars discolore marginata saluiâ.
Cernere erat intùs, hinc acetosam oxalin,
Allobrogas illinc brassicas assurgere,
Inde capitatas: & suam feles habent
Præstò calaminthAm, quando cordolium premit,
Suusque raphanis est torus, suus allijs.
Hyssopus & buglosson, & betonica, &
Edulium regina radicum siser,
Pluresque, quas nouit olitor, nouit coquus,
In hoc culinæ seminario virent.
Lactuca longis densa muris adsita est,
Genus omne, crispa, Cappadox, Laconica.
Hîc aliquis vnus è Proserpinæ procis,
Aut potiùs è Plutonijs calonibus,
Has subter herbas abditus dæmunculus

Lima-

Limacis inſtar repit, aut viſcum creans,
Aut mille nodis rete texens; interim
Quid bufo, quid lacerta, quid coluber ſedens
Folij ſub vmbrâ machinentur, aſpicit:
Si quas arachnæ neptis incautas clepat,
Voretque muſcas, ſe ſui is memorem facit,
Monetque, prædâ fors propinquâ ſit vigil.
Huic parua lactucella tugurium dabat.
Hortum ſubire venia virginibus erat
Subinde, vt auræ lætioris compotes,
Animos & oculos hæc tuendo paſcerent,
Et ſi luberet, id loci cælo pia
Patentiori mitterent ſuſpiria.
Dumque hac & illac illæ & illæ obambulant
Placidæ, ſilentes, atque ſecuræ ſui,
En aliqua muro Nonna tunc propinquiùs
Spatians, virentis folia lactucæ videt.
Quò figis oculum Monacha, quò dextrâ moues?
Heu propior intuetur, heu premit manu!
En ſe recludunt labra, dentes pruriunt,
Lingua ipſa clamat de palati fornice,
Age, infer, infer. Ergo, pingendæ Crucis
Oblita, non oblita circùm cernere,
An aliqua ſpectet ſocia, lactucam vorat,
Simulque lactucæ hoſpitem nebulunculum.
Nec mora, tenebrio guttur infauſtæ ſubit,
Totos deinde ſeſe in artus induit.
Collapſa primùm virgo grunnitum dedit
Horrendum, atrocem, more mactandæ ſuis,
Quam pede reuinctam lanius inſtrauit ſolo.
Vndique ſorores aduolant, opem vt ferant,
Suiſque vinctam quæque ſtringunt cingulis,

Illa

Illa sed in altum se abs humo vibrans salit,
Fragilique iunco cingulos reddit pares.
Nunc in propinquas euomit conuitia,
Nunc è profundâ gutturis voragine
In verba, quæ virgineus ignorat pudor,
Nunc in iocos effunditur salsissimos.
Tenella, quam vel talitro prosterneres,
Iam quinque validas defatigat oppidò.
Haud procul Equitius Parthenonis arbiter
Et Pater, id æui sanctitate nobilis,
Hinc aberat: illuc ilicò è viciniâ
Accitus, horti limen hauddum presserat,
Cùm voce querulâ fatus hæc dæmon dedit:
„ Cur me hinc, ô Equiti, cur abacturus venis?
„ Quid igitur egi, quid patraui criminis?
„ Dum nihil opinans moliensque noxium,
„ Sub frondis vnâ dormio testudine,
„ Hæc auida me momordit ac deglutijt,
„ Suique fecit incolam gurgustij.
„ Quo iure tandem me meo extrudes toro?
Nauci has querelas, & minoris æstimans
Equitius, auras dexterâ elatâ secans,
Nostræ salutis religiosâ tesserâ
Confestim abegit mancipem furuum foras.
Si sic puella se præarmasset Cruce,
Ille citus aliò se dedisset in fugam,
Aut excidisset, more consperfi sale
Limacis, à lactucâ in vrticam miser.
Parce Paradoxo, Lector, huic etiam meo.
Dum primus anguis sibilos primos dedit,
Pomi vt vorandi gigneret cupidinem,
Si mater Eua fructui dicens benè,

Manu benè ominante formasset Crucem,
Coluber futuri territus præsagio
Nescio quò, ab atrâ lapsus esset arbore;
Et mox in antrum se retrusisset suum:
Quodque expetendum millies erat magis,
Illæsa Pomus, Eua foret innoxia,
Adamus inculpatus, & nos aurea
Aurei nepotes viueremus sæcula.

Quid Romæ euenerit P. Gaspari Vasquez Theologo, domum delirorum ingresso.

Ex P. Garassi Doctr. cur. lib. 1.

GEnus omne cerebro cespitante debiles,
Quos Pazzarellos vulgus Italum vocat,
Romæ frequentes vidimus, longo ordine,
Binosque cubito copulatos mutuo,
Duci Penates ad sacros, ijs vt stipem
Benigna commeantium donet manus.
Hos & videre est circumiri à plusculis,
Quos vana curiositas illuc trahit;
Nam mira referunt, abs olympo condito
Quæ non fuerunt, non erunt; tam ludicra,
Ciere splenem culicibus ipsis vt queant;
Et tam subinde seria, vt Catonibus
Solonibusque hos audeas componere.
Vasquesius ille magnus in notissimis
Theologus, almâ fors in Vrbe dum foret,
Pios adire destinauerat locos,
Seu qui seniculos aut aniculas educant,
Aut seiugatas à maritis improbis,

Seu

Seu qui puellos aut puellas orphanas
Ter mille, ad annos vsque tandem nubiles;
Seu languidorum Pandochea maxima.
Et casus illò duxit: vbi Dementium
Gens illa, egestas quos suâ extrusit domo,
Laribus moratur ac habetur commodis.
Vix gressus intrò est, ecce venerandum senem,
Cui barba cubito longa par erat niui,
Et vitrum ob oculos peruigil; is in atrio
Sibi concolorem conspicatus Gasparem,
Salute donat cominus amicissimâ,
Et se esse præstò, vt rara, si qua sint domi,
Visenda & audienda monstret impiger.
Ergo lubentem ducit ad cubilia
Hinc inde varia, queis fenestella est sua,
Vt poculenta, vesca, vestes, porgere,
Et intueri fas sit, ecquid agant rei,
Quos aut phrenitis aut fatuitas noxia
Mandat catenis vinculísve stringere;
Namque al'a turba est, emanere quos sinunt,
Domique pedibus euagari innoxijs.
Quin etiam opifice fortè si valent manu,
Id artis aut laboris exequi licet.
Iubentur alij ligna ferre, ferre aquam.
His deinde verbis Gasparem affatur senex:
„ Vt cernis, Hospes, hæc domus Dementium est,
„ Quos aut maligna bilis in rabiem dedit,
„ Aut quibus inauspicata mœstities, nigro
„ Elata fumo fluxit ab hypochondrijs;
„ Aut queis repulsam passus & languens amor
„ Cæcâ furoris nube conuoluit caput.
„ Mirum vnde, stultos inter, hæc discrimina.

 „ Meus

„ Mens huic amicis gaudet interlunijs;
„ Isti vacillat vnico in negotio,
„ Perfacilis alia dicere & agere omnia:
„ Si rem hanc tetigeris mediâ aciculæ cuspide,
(Narrare de se fabulam haud putat senex)
„ Actum est, abitur ilicò in delirium,
„ Neque hinc reditur, ni aliud in medium feras.
„ En Philosophastrum ; dum pererrat siderum
„ Ortus & obitus , in scrobem præceps ruens,
„ Sibi crus caputque vertebris mouit suis;
„ Nemo vnus illo claudicat deliriùs.
„ Vertiginosus alter haudpridem cere-
„ brum fabricandis versibus pessumdedit.
„ Audi , audi , vt odas cantet à se conditas '
„ Sed qui in remotâ latitat horti pergulâ,
„ Is se esse credit hordeum , hinc gallos timet
„ Anxius, & horum coniuges, ne se vorent.
„ Viden' vt opaco singularis in angulo
„ Resideat ille trepidus ? hic crystallinam
„ Sese esse iurat amphoram , hinc & obuijs
„ Occlamat: O me , quæso, ne contingite.
„ Qui mediâ in aulâ Regio incedit gradu,
„ Sceptrumque gestat ligneum , is Rex est sibi,
„ Et se ipse iactat imperare Canadæ,
„ Eoque naues nauticumque militem
„ Mittere quotannis , maximo Europæ lucro.
„ Vt cerebri inanis fieret , egit ambitus,
„ Dum Prætor esse vrbeculæ sperat suæ;
„ Vbi spe misellus excidit , mente excidit.
„ Nequeo, iocosam quin tibi rem edisseram.
„ Est hoc in antro , si quis amens vspiam,
„ Permalitiosus. Ne propinqua, ne auribus

Naso-

„ Nasoque malè sit. Nuper alicunde aduena
„ Hunc sibi propinquum hîc côllocatum resciens,
„ Domum hanc subierat. Tum fenestellâ diu
„ Patente, stultum miserias audijt suas
„ Plorare; summum per nefas se carceri,
„ Quodque execrandum sit magis, se insaniæ,
„ Quæ nulla prorsum est, mancipari ergastulo.
„ Iliada rerum hîc se malarum perpeti,
„ Nec esse, qui se verbulo adiutum velit.
„ Densis proinde precibus atque lacrymis
„ Prætorem adiri postulat, sese vt sibi
„ Restituat. Alter spondet extemplò, ac abit
„ Noster abeuntem reuocat, & paucis ait,
„ Habere sese, quod propinquo in auribus.
„ Qui ne vel hilum suspicans, has admouet,
„ Sed & has agiliùs sentit ambas arripi,
„ Illam sinistrâ, hanc dexterâ insani manu,
„ Opemque clamat; ilicet concurrimus,
„ Fatuo minamur, vapulaturum vt decet,
„ Nisi. at ille raucâ voce, Disce, si sapis,
„ Nec te, nec aures tam propinquas credere
„ Insanienti. Tacuit, aures reddidit,
„ Quas iste palmo longiores extulit.
Illa referebat Gaspari prudens, catus,
Ceteraque fatuo cuncta dissimillimus,
Cùm iuuenis habitu comptus, ore comptior,
E fonte, mediâ qui salibat areâ,
Hausurus vndam, dat salutes eminus
Abiturienti. Vidit & dixit senex:
„ Venustus ille, quem vides, Iuuenculus,
„ Ait fuisse Gabriel Archangelus,
„ Aitque nuntiasse magnæ Virgini

,, Fauſta illa quondam. Sed merum delirium eſt,
,, Et grauius omni, quod ſit hîc, delirio.
,, Namque ipſe iuro (crede iuranti mihi
,, Per alta cæli ſolia) me Deum Patrem
,, Eſſe, & fuiſſe id temporis. Sat hinc ſcio,
,, An miſſus à me is iuuenis imberbis ſiet?
,, Neque miſſus vmquam ab Atrijs cæleſtibus,
,, Ne viſus illic vſpiam aut vmquam fuit.
,, Ni me iuuentæ tangeret miſeratio,
,, Næ mox in atrum deſtinarem Tartarum.
,, Vale Hoſpes. Abijt Gaſpar attonitus, ſenem,
Quem prius amica & ſana fari viderat,
Tam derepentè, iuuene conſpecto, bonâ
Exorbitaſſe mentis à lirâ ſuæ.
,, Quàm varia nobis cella promptuaria eſt
,, Summâ in medullâ, quam cerêbrum dicimus?
,, Abs homine primo, nemo homo phantaſmata
,, Vidit aliena, nemo non nouit ſua.

Mulier in eamdem foueam cum lupo & vulpe labitur, & intacta perſtat in diem ſequentem.

Geſn. lib. 1. Anim. de Lupo.

VEnator agrum ſcrobibus altioribus
Diſcriminarat, texerat ramuſculis,
Viſceribus ouium pellibuſque ſtrauerat,
Vt quando ſomnos caperet, hîc foret vigil
Muſcipula fabrefacta captandis feris.
Iam veſperugo ſe in tenêbras merſerat,
Cùm tria viciſſim diſparia animalia

Scrobe

Scrobe tumulantur vnâ eâdem condita.
Domi relictâ prole, clàm muliercula
Agros propinquos ditioris villici
Subierat, oppleratque semicinctium
Rapis, sequentis in diei obsonium
Sibi suisque liberis: fallacibus
Vicina tandem scrobibus, & betas rata,
Quos eminere prospicit ramusculos,
Has in olus exportare mente destinat.
Dum se reclinat propior, vt frondes legat,
Pedem fefellit margo, & in præceps tulit.
Tum sese in imâ sentiens voragine,
Inter bidentum spolia, cum rapis suis
Hinc inde sparsis, quid agat? A viciniâ
Nimiùm remotâ id temporis nil est opis
Sperare, nil opus inuocare. Quempiam
„ Fòrs transeuntem crastinus dabit dies,
„ Qui me lubens, aiebat, educet foras.
Vix ore dederat verba, vix illud spei
Hauserat, ab alto pænè supra olli caput
Pari en ruinâ labitur vulpecula.
Hæc naso odoro pabulum præceperat
Suo è cubili, aduenerat que celeriùs,
Sensimque reptans ad scrobis crepidinem,
Quam frondibus venator occæcauerat,
Hinc se mulieri contubernalem dedit.
Nec se hîc societas claudit, in votis habens,
Vulpem sororem visat vt frater lupus.
Par est malitiâ; vbi captus est, par est metu.
Recentia exta nescio vnde olfecerat.
Ergo venerandâ lentitudine, vt solet,
Sorbens hiatu narium auras vndique,

Propinquat, & repentè se lapsum videt,
Mulieris ante, vulpis ante pectora.
Spectans labantes cæca tres fouea, nouos
Saluere iussit hospites: hi immobiles,
Quo se loco sensere præcipites, eo
Hæsere. Pauper interim, vt par credere est,
Tremefacta mulier hocce contubernio,
Suum sepulchrum conspicans ventrem lupi,
Seipsa damnat rustici furti ream,
Rapasque detestatur alieni soli,
Veniamque Superos poscit, haud tamen suum
Dextrâ aut sinistrâ pectus ausa tundere,
Ne ad sæuiendum is gestus irritet feras.
Quis vulpis animus, quis metus? ea actum putat
De pelle, deque pellis interaneis.
Neque dolus illi prodit vllus obuiàm,
Quo se tueri valeat à lethi vnguibus.
Sed lupus? is inter hanc & illam vix suus,
Vt esca clausis muribus fastidio est;
Sic iste factus præda, prædæ est immemor,
Exanguis, ora pallidus, iugulum sibi
Vel à mulieris impeti credit manu.
Oculos volutat suspicaces, incubans
Caudæ trementi; sortis vt iniquæ canes,
Demittit aures, quas & arrigit anxius,
Si fortè sonitum argutiorem det culex.
Vbi Phœbus orbi posterum aduexit diem,
Venator amplas manè muscipulas adit,
Grandesque mures discolores repperit
Benè lætus, hinc & gratulans captis feris,
Hinc & misertus semimortuæ, lupum
Primùm trucidat spiculo bicuspide,

Dein

Dein vulpem in Orcum vulpium mandat citus,
Scalaſque nactus emendæ pauperi,
Claro redonat ætheri lætiſſimam.
„ Quid nequit in arctis rebus inſolens pauor!
Tantus cerêbrum terror obſtupeſecerat,
Vt capite cano nocte facta ſit vnicâ.
Domum regreſſam, decoloratam comâ
Auiam putarunt liberi, haud matrem ſuam.
Atenim quis horum gelidior trium fuit,
An vulpis, an mulieris, an lupi tremor?
„ Malitia timidum eſt animal, eſto viribus,
„ Eſto venenis fraudibuſque polleat.
Committe phialæ, ſi lubet, cryſtallinæ,
Simul vt morentur, & epulentur, ſi velint,
Culicem & arachnem; vitreo in cœnaculo
Nil hac timidius, nil erit fugacius,
Si quando culicis ſentiat pedunculum,
Vel tenuis alæ ſibilum, euestigiò
Et horſum & horſum diffugit ſudans metu.
Si nemore medio derepentè validiùs
Propinqua trepident folia, quid pallet magis
Prædone, dum conſcit ſibi, & ſatellitum
Phalanga tergo retur aſtantem ſuo?
Sic malitioſo nil lupo metuentius,
Incogitatis quando ſe in ſeptis videt.

S. Macarius Alexandrinus catulum hyænæ cæcum visu donat: illa die insequenti pellem ouinam ei defert, grati animi indicem.

Ex Pallad. in eius Vitâ.

INter ferarum tesqua degebat silens
Macarius alter, ille prodigium viri,
Prodigium eremi. Nec procul suâ in specu
Enixa fuerat trux hyæna hyænulam
Luminibus orbam, postque quàm linguâ diu
Lambisset, vrsi more, nec quidquam spei
Foret aut medelæ, quid ageret? primoribus
Corripere labris illa collum filiæ,
Dein ferre lenta cœpit ad Sáncti casam:
Hanc fronte pulsans, audit abs antro sonum:
Ingredere: facili sponte panduntur fores,
Ingreditur: humili in cespite vt senem videt
Nescio quid operis molientem, supplici
Ceruice, gnatam pedibus adsternit viri,
Et visa fari est, & rogare, vt paruulæ
Aliquam diei & lucis vsuram daret.
Præ se Macarius apprehensam hyænulam
(Catulos vti solemus animi gratiâ)
Erigit; ocellos, quos nouerca clauserat
Natura, spectat; & manu signans piâ,
Hos tenuioris rore sputi proluit,
Tacitè precatus paucula; actutum hæ fores
Reserantur, & mox ad parentem hyænula

Con-

Conuersa, risu gaudioque diffluit,
Vndique colores atque lumen intuens.
Ambæ cauernam, post peractas gratias,
Senis osculatæ dexteram, repetunt suam.
Hîc dormiente sobole, sese in pascua
Vicina penetrat mater & fors deuiam
A grege bidentem nacta raptat, enecat,
Et pelle totâ nudat integerrimè.
Postquam reuisit crastinum Phœbus diem,
Beneuola (gratus est animus etiam feris)
Pellem Macario, eliminando frigori,
Hyæna defert. Hæc vbi inspexit senex
Vestis alienæ spolia, flammarum pares
Retortus oculos pandit, & librans caput,
» Siccíne, ait, audax depeculatrix gregum,
» Egon' facinoris audiam consors tui?
» Apage rapinam hinc tu tuam: pauperculi
» Fortasse totum & vnicum peculium
» Ouis ista fuerit, quam vorasti pessima.
» Et mihi reliquias noxiæ fers impudens:
» Hinc te igitur amolire, furta non emo.
Dumque asperè increpare pergit idemtidem,
Hyæna pellem tollit abs humo idemtidem,
Et munus oculo postulabundo exhibet.
Contrà Macarius reicit & pede, & manu,
Et scipione; dumque pertinacior
Fera lacrymando & rugiendo flagitat,
» Ait ille tandem: Ni mihi spoponderis,
» Nullum deinceps pauperis viri pecus
» Abripere velle, frustrà es, & vellus potes
» Quò lubeat asportare, numquam id sumpsero.
» Promitte, sodes. Nulla mora, Sic me Deus,

„ Ita iuro ſanctè & voueo, dixit bellua
Nutu diſerto, & pectori admoto pede.
Ergo receptâ pelle, dicto illi vale,
Frigus alioſum miſit, iſtoc pallio
Amictus humeros Macarius. Quid non potes
Intaminata Sanctitas? Leonibus
Colludere audes, agnus agnis vt ſolet.

S. Franciſcus Xauerius Petro Vellio in Indiâ Mercatori ob inſignem in pauperes liberalitatem prædicit fore, vt mortis diem præſciat; ille ad eam egregiè ſe comparat, & ſibi viuo & præſenti exequias curat.

Ex S. Xauerij Vitâ.

FRanciſcus etiam noſter in partem mei
Veniat laboris, ille qui per Indicas
Sudauit oras, meſſis æternæ ſator.
Garamantas inter, inter Indos nobilem
Is Inſtitorem, Vellium cognomine,
Præcipui amoris illigarat vinculis:
Huius ope & opibus nunc egenos pauerat,
Nunc eripuerat è lupanari lupas,
Nunc alia cælo digna perpetrauerat.
Scortum erat honeſtis editum natalibus,
Sed, quod ſubinde ſtirpibus labem parit,
Inopia ſcortum fecerat. De fornice
Eruere miſeram geſtiens Xauerius,
Et expetendo collocare nuptui,
Dotem abs amico Vellio depoſcere

Animo

Animo volutat, & repertum in ludicris
Latrunculorum prælijs adortus est:
„ Te pauca, Velli, verba, conuentum volo.
„ Est iam, vnde cælum ius lucrari sit tibi
„ Meliore ludo. Quæso te, complusculos
„ Largire nummos, opus vt accurem pium.
Aurem obserarat; nil inaudit Vellius,
Clauo trabali fixus hæret in suos
Pedites & equites, & elephantos buxeos,
Suoque Regi, Regiæque coniugi
Periculosas à sui, nisi præcauet,
Consorte ludi trepidat insidias strui.
„ Franciscus humerum pulsat: Euge pro tuâ
„ Pietate Superis hominibusque cognitâ,
„ Ouem cruentis è luporum faucibus
„ Eripe, parentum haud viliorum sanguinem,
„ Eripe puellam è ganeâ, datâ stipe.
„ Non siluit vltrà Vellius: Pater bone,
„ Cras si reuerti libuerit, faxo libens:
„ Nunc raptat aliò, quem vides, lusorius
„ Alueus, & omnis ista bellantûm cohors.
„ Cras igitur. Oculos ilicò & animum & manum
In tabulam, vt hostem captet, infert Vellius.
„ Cras igitur? inquit Xauerius, & quis tibi
„ Quis mihi vel vmbram pollicetur crastini?
„ Lucis hodiernæ certitudo est aurea,
„ Mercator elabi sines? Vix protulit,
Quando ille (siue subita præcipitatio,
Siue ipsa potiùs impulit virtus manum,
Linguamque) properus hæc dedit Xauerio:
„ En tibi magistra clauis arcæ principis,
„ Quantum hinc lubebit, hauries, nosque hîc sines

„ More agere nostro, more nostro ludere.
Exin rapidiùs ligneorum militum
Aciem reuisit, quid geratur contuens.
Abit Xauerius, arcam adit, claue reserat.
Papæ! quis auri cumulus! ô si ter decem
Cum corbe dorsuariâ illuc pauperes,
Et his canistro hinc venia piscandi foret!
Inde ergo, quantum prostitutæ sit satis,
Vt sese honesto vinciat connubio,
Xauerius effert: gratias dein Vellio
Cum claue referens optimarum maximas,
Rogatus, ecquid id fiet quod hauserit,
Ter ille centum dexterâ timidâ aureos,
Velut alieni largus æris, exhibet.
Hîc animum, & oculos, & manum diuertere abs
Bicolore lusu Vellius, Xauerium
Obliquus intueri, & inde proloqui:
„ Ideón' magistram credidi clauem tibi,
„ Mihi pœnitendum credulo vt damnum dares
„ Mi Pater, & vnde tam malam abs te gratiam
„ Inire potui? tricies mille aureos,
„ Venæque purioris arctè continet
„ Arca illa, cuius ansa pandendæ fuit
„ Subsidium egenæ, precibus extortum tuis:
„ Meus ferebat animus, vt peculij
„ Huiusce per te media pars in optimos
„ Abiret vsus, reliqua superarent mihi,
„ Etiam abitura, si tibi adlubesceret;
„ Vixque modò nummos (sic loquar) trecentulos
„ Trepidè extulisti, meque tanti fenoris,
„ Tantique meriti deuolutum præmio.
„ Lugere cogis, pace dixerim tuâ.

Atto-

Attonitus hæsit his olympi viribus.
Tam derepentè comminutum Vellium
(Vt fulmen enſes in ſuâ ſolet domo)
Xauerius, hunc præſagus, & prænuntius,
" O macte Velli, dixit, abs cælo Deus
" Hunc vidit animum, vota vidit optima.
" Et is rependet, & ore prædicit meo,
" Tua tibi cumulo grandi adauctum iri bona,
" Queis liberali dexterâ miſeros leuas.
" Quin vbi beatam, quà licet mortalibus,
" Placidamque vitam duxeris, lethi diem
" Præſcire dabitur, quò exeas paratior.
Neque is fefellit Vellium, neutrum Deus.
Nec ſeipſe falli aut fallere tulit Vellius.
Id quod peræ grè plurimi, maturrimus
Tabulas peregit vltimas, & largior
Viduis, inopibus, & locis votis Deo,
Bulgas aperuit abſque noxâ prodigas.
Poſt ergo multos ſolis orbes annuos,
Tandem propinquæ fit diei conſcius,
Quâ dente Parcæ medius occandus foret,
Vt animus aſtra viſeret, & artus humum.
Ad Curionem manè primo abit citus,
Et quas ab ipſis pænè cunis noxias
Patraſſe memor eſt, lacrymatus eluit:
Ea deinde magno dicta momento dedit:
" Mi Domine, gratum feceris, ſi ſine morâ
" Sacras ad aras facere pro me iam velis,
" In veſte pullâ, mortuis vt aſſoles.
" Ad hæc Sacerdos: Vin' parentemus tibi
" Viuo & videnti? Viuus & prudens volo,
" Totiſque fibris expeto, inſit Vellius.

" Sed

,, Sed viridis, & roboreus, & ſucci integer
,, Mille paraſangis à tuis fatis abes;
,, (Curio ait) iſtos, oro, manes abijce.
,, Age, viue, quid enim proſperæ es vitæ ſatur?
,, Scio, ſcio, Phœbus quid mihi occiduus vehat
,, (Reponit ille) & noctis ante limina
,, Teſtabor oculos mortuus etiam tuos.
Ergo peragitur, & Parentali ſacro
Suo ipſus adſtat, audit & Requiem ſibi
Breui affuturam, Amen, Amen reſponſitat,
Repentè fama, mulier illa centipes
Centumque linguis compitatim peruolat,
Eheu cerebro claudicare Vellium.
Hinc capita paſſim conferentes mutua
Multæ oſtiatim Lingulacæ perſtrepunt,
Illudque geminant millies ritu ſuo,
Eheu cerebro claudicare Vellium.
Mora nulla, amicos & propinquos cernere eſt
Peſſumdaturos huncce mentis turbinem,
Affluere, circumſtare, lacrymas fundere:
,, Hanc nimia pietas, ac inaſſuetæ preces,
,, Et ſcrupus, aiunt, plurimus vertiginem
,, Inauſpicatam parturiuit Vellio.
Aliud & aliud quiſque pro ſe ſuggerunt.
,, Elleborus ater, aut ſoporifer cibus,
,, Aut capitis vnguen, aut ſinapiſmus valet
,, Cerebro expiando. Sanus intereà loci
Nihil alieni fatus, aut inconditi,
Conſtat ſedili Petrus in domeſtico,
Et apprecatur his & his longum vale,
Vale & repoſcit. Pars iocabundum rati
(Erat & faceto tinctus ingenio) rogant
Ecquò

Ecquò ipse tandem cogitet. Tum Vellius,
Astra, inquit, Astra; sic mihi Xauerius
„ Præfatus olim est ore diuino, fore
„ Vt me diei præscium extremæ Deus
„ Redderet, & ista est. Dixerat, corriserat,
Cunctisque demirantibus, anima fugerat,
Vocante cælo, ad destinata præmia.
„ O magna rerum Domina Liberalitas,
„ Arcana Superûm vt præsciantur, efficis,
„ Quodque tibi laudi est, liberalibus lucro,
„ Ad ora Superûm vt euoletur, efficis!

S. Seuerus è textore repentè factus Episcopus Rauennatium, indicio columbæ cælo delapsæ, post ridiculũ vxoris vaticinium.

Ex eius Vitâ in Sur.

PRæsul Rauennas inierat mortalium
Larem supremum, quâ solet iniri viâ,
Populumque consternarat haud parum viri
Iactura tanti, iamque damnum vt sarciant,
De more Cœtum Antistites conciuerant.
Iam summâ in Aede supplicabundi preces
Ad promerendos Cælites occeperant,
Cùm fortè pauper licium tractans manu
Laboriosâ textor, illò tendere,
Studio videndi, totus arsit. Interim
Lanifica coniux cum pusillâ filiâ
Lanam trahebat, ac in orbes sedula
Glomerabat, hostis otio durissima.
Viro Seuerus nomen, haud animus fuit.

Erat

Erat ore placido, mente beneuolâ omnibus,
Nihilque vulgi, nilque textoris gerens,
Præter lacernæ & pilei sordes rubri.
Velata virtus, inque textrinâ latens,
Et par columbæ niuea simplicitas Deo
Dudum placuerat. Ergo coram coniuge
Dum fila tramâ lubricante necteret,
,, Suspiriosus, O si, ait, nunc & mihi
,, Ritum hunc sacratum conspicari fas foret!
,, *Vx.* Bone vir, facesse hanc hinc procul præposteram
,, Malè collocandi temporis libidinem.
,, *Seu.* Bona verba, non est hæc libido, sed pia est
,, Sancta intueri capita curiositas.
,, *Vx.* Nec mihi, nec ista curiositas tibi
,, Exigua frusta panis è furno dabit.
,, Ego hîc rotabo mille cum gnatâ glomos;
,, Tu foris iners, ineptus otiabere.
,, Operare, nimium nimia egestas est malum.
,, Non est quòd animo spes inambulet tuo;
,, Siue hîc resideas, & tuam lanam premas,
,, Siue ad videndas tot tiaras Præsulum
,, Hinc curiosus effluas; ne cogita,
,, Præsul Rauennas haud inaugurabere.
,, Siluit Seuerus tantulùm, vsquedum nouo
,, Velut ictus œstro, Quæso te, ô coniux, sine,
,, Sine me legendi Antistitis solemnia
,, Spectare: si quid ierit illic temporis
,, Inane lucri, nil verere, spondeo
,, Id nocte solidâ ritè demensum dare.
,, Age ergo (labris dixit illa ironicis,
Et augurari nil volens, augur fuit)
,, I, curre; quàm mox subieris templi fores,
,, Noster

„ Noster Hierarcha deligêre, scilicet.
Abit, init Aedem, intraque vestibulum Chori,
Non ausus vltrà, sordidus, etiam lacer,
Per ille rimam largiorem ianuæ,
Cleri senatum supplicem circumspicit.
Iam sacrosancti Spiritus insonuerat
Solemnis hymnus euocando Numini,
Cùm suaue cæli murmur illatum sacra
Atria pererrat, inde templi fornice
Hiare viso, fulgor ingens emicat,
Medioque lucis purioris in globo
Columba sensim deuolat pulcherrima.
Mixtum stupori gaudium cunctos rapit,
Fauoris exitusque præsagos boni,
Vt, cui columba verticem staret supra,
Deuota eidem Mitra de cælo foret.
Primùm sub Aræ principis conopeo
Sistit volatum pendula, ac si quæritet,
Cui caput obumbret, quemque destinet Infulæ.
Sellas deinde Præsulum, tum ceteras
Super-ipsa-vehitur placida; limen vltimum
Ingressa, capite mox Seueri considens
Expandit alas. Alitem is persentiens,
Abigere dextrâ; tum sinistrâ nisus, &
Hæc dicta pænè lacrymabundus dedit:
„ Non sum, ô columba cælo lapsa, non sum ego
„ Quem quæris; alium, si placet, circumuola,
„ Alium require. Textor è pauperrimis
„ Seuerus ego sum: è licio prodit meo
„ Sola leuidensa, pannus exilis notæ,
„ Imique pretij. Testis est vxor domi.
Sed dîa volucris conscia, quid intus boni
Sub

Sub veſte lacerâ deliteret, tertiùm
Leues per auras circumacta, tertiùm
Reſedit, ac demulſit inuiti caput,
Atque ſubeundo muneri par vt foret,
Muneribus illud compluit cæleſtibus,
Viſaque profari eſt, Hic Rauennas Præſul eſt.
Patrum repentè cœtus adproperat, virum
Complexus, intrò vel reluctantem trahit.
Exinde textor quiſpiam è ſpectantibus
Anhelus ædes ad Seueri conuolat:
„ O Bertha, neſcis quid Seuero actum tuo?
„ Hierarcha nôſter lectus eſt, ſuffragio
„ Niueæ columbæ, Patribus aſtipulantibus.
Exilijt illa, & cum ſuâ forſan colu,
Fuſoque, gnatâ comite, delubrum petit,
Stupet maritum, Præſules inter, nouâ
Cyclade nitere, nec poteſt, quin hilarior
„ Exclamet: Euge mi Seuere, perlubens
„ Tua tibi coniux deſino; præſtantior
„ Poſthæc & aſtris gratior coniux erit,
„ Quam tibi dedêre Cælites, Eccleſia.
Abs ſole nato nulla tantam pauperis
Textoris officina virtutem tulit,
Nulluſque tantam textor Infulam tulit.

Iapon Neophytus Bonzio falsò glorianti, quòd in Iesuitam immisisset dæmonem, sese, vt eum mendacij redarguat, lubens offert, vt id in ipsum tentet, si possit. Tentat Bonzius frustrà, nisi quòd in ethnicum astantem, Neophyti loco, dæmon irruit. sed inuasus Bonzium pugnis egregiè mulctat, & à dæmone liberatus, Christianus efficitur.

Ex litter. Iapon. anni circiter 1586.

IApon recenti tinctus vndâ & Chrismate,
Quo Christianos inter ascitus, Fidem,
Et Lodoici nomen is adeptus fuit,
Patriâ profectus vrbe dum peregrè foret,
Fortè sacrificulo Bonzio dat se obuium.
Hi capita nempe sacra sunt Iaponiæ,
Maleficiorum belli opifices omnium,
Queis etiam Auernus obsequi frequens solet,
Satellitesque mittere, in quos his lubet.
Bonzius odorans, an suis Vale dijs
Vir hic dedisset, & dedisset se Deo,
Quem colimus, vni, cœpit argutarier,
Et impudentem comminisci fabulam.
» Heus Hospes, infit, habeo quam narrem tibi
» Rem lepidam & hilarem, & hac in vrbe nuperam.
» Horsum Mæaco soluerat, Legem suam
» Vt venditaret Sacaini ciuibus,

» Impro-

„ Impoſtor Europæus improbiſſimus
„ Ieſuita, noſter vulgus id dat nominis.
„ Vt rumor aures in meas ſeſe attulit,
„ Mora nulla, portum ſubeo, necdum exſcenderat.
„ In nauis orâ conſpicor ſpectrum viri,
„ Hominem macellum, pallio pullo grauem,
„ Exoticumque pileo, cui cornua
„ Quaterna quadrum ſtruxerant ſuper comâ;
„ Malè ominatam dexterâ exertâ Crucem,
„ Læuaque globulos is gerebat ligneos.
„ Tunc ego deorum vindices noſtratium
„ Manus ad aſtra ſubrigo, cælum intuor,
„ Imploro Iaponum Numina, Camos, Fotoquos,
„ Sacas, & Amydas, vt ſuarum virium
„ Memores in iſtum malitiæ emiſſarium,
„ Qui noſtra paſſim Sacra iam peſſumdedit,
„ Protinus ab imo Tartaro genium malum
„ Et fortiorem & nequiorem deſtinent,
„ Qui grauiter artus ſycophantæ torqueat.
„ Vix tacita verba & pauculas fudi preces,
„ Quando properante ad iuſſa Diuûm dæmone,
„ Ieſuita miram hîc edidit comœdiam;
„ Repentè viſus ore diſtortiſſimo,
„ Iam barrientis inſtar elephanti, maris
„ Littora quatefacit horridis clamoribus;
„ Iam capite nautas impetit, ferociens
„ Vt taurus; exin vt petulcus ſimius
„ Bellam choream lubrico inſtituit pede;
„ Tum inconditis grunnitibus, rugitibus,
„ Is porcus eſt, is eſt leo. Dij mali!
„ Quos ille ludos, quos dedit nobis iocos!
„ Nunc velle funem ſcandere anchorarium,

„ Et

„ Et diſſipatis euolare brachijs,
„ Nunc ſe in profundum velle viſus mergere:
„ O ſi! at reuinctum turba tandem nautica
„ Cæcam in carinam truſit, & compeſcuit.
„ Domum regredior hoc triumpho nobilis,
„ Totus cachinnis gaudioque diffluens,
„ Et longa mecum mille ſpectantûm phalanx.
„ I ſtolide, legem ſequitor, imbellem ſuos
„ A me meoque vindicare robore;
„ Mendiculos venerator Europæ viros,
„ Quos tam benignè, ſcilicet, demulſimus.
Hæc Lodoicus aure non pronâ bibens,
„ Vix tenuit iras, ſed renidens, Euge, ait,
„ Si te libido mentiendi vellicat,
„ Mentire faſcinator ingenioſiùs,
„ Mentire ſaltem, vt ne refelli iam queas
„ Ilicò. Quid illi, quem malè cruciatum ais
„ Ab introacto dæmone, hîc euenerit,
„ Sat nos ſuperque nouimus. Teſtor tuos,
„ Tuque ipſe noſti, ne vel vmbram Bonzij
„ Vnius auſam congredi, totos dies,
„ Queis Sacaini Ieſuita conſtitit.
„ Quin tu timidior lepore, conſpecto cane,
„ Ipsâ celerior, ſole viſo, noctuâ,
„ Nónne in cubile condidiſti te tuum,
„ Ne te pudore is obuius perfunderet,
„ Tuaſque tenebras proderet, & inſcitiam?
„ Et euocatum, ſcilicet, dæmon tuo
„ In Ieſuitam ſe dedit! belli logi!
„ Age porrò, mendax hac vt horâ pareas,
„ En ego Neophytus, plantula Fidei noua,
„ Ego me meoſque facilis artus offero,

„ Vt,

„ Vt, queis valere gloriaris viribus,
„ Acheronta totum totus in me despuas.
„ Ne vel capillus vertici incumbens meo
„ Trepidabit vnus. Hoc tamen eâ lege sit,
„ Vt si euocandis è styge in me bellluis
„ Labore sudes irrito, hîc nunc propalàm
„ Fateare te cudisse, quod nugatus es,
„ Mendacium omni grauius impudentiâ.
Idem pacisci Bonzius non abnuit,
Et hanc sibi ansam lætus insignem dari,
Quâ se & suorum robur ostentet deûm,
Carminibus atris exciendo dæmonas
Hunc in Neophytum, iam iam ad opus accingitur.
Residere saxo Lodoicus proximo
Iussus, resedit; ac priùs frontem Cruce,
Simulque verbis, queis solemus, muniјt.
Vicinus aderat Hospes, is qui dux viæ
Illi per vrbem fors erat, sed ethnicis
Necdum è tenêbris & periclis erutus.
Vix in sedili Lodoicus saxeo
Sese locarat, quando in altum Bonzius
Vt entheatus vibrat oculos & manus,
Subitoque veluti Cælo Auernum misceat,
Eadem deorsum iactat immenso impetu.
Inter ea tumidam motibus creberrimis,
Densissimisque sibilis buccam mouet,
Hirquos subinde, Neophytum versus, rotans,
An is agitari cœptus, annon turgeat.
Sed hic serenus spectat, & iocans ait:
„ Macte sacrificule, voti eris compos tui,
„ Mihi barba prurit, talus & nasus rigent.
„ Postquam ore tacito, gestibusque silentibus,

In

In Lodoicum ne vel hilum proficit,
Grauiore ſeſe Bonzius motu quatit,
Deinde crepitans verba ſeſquipedalia,
Potentia Orcum findere,inuitis dijs
Deabus illic omnibus,terram pede
Ritu ſonipedis pulſat,hinc vlulabili
Clangore Sacas & Amydas ſuos vocat.
„ Tum Lodoicus: Ne ſacerdos,ne tona;
„ Moderare voci,dormientes excitas
„ Libidinoſos in lupanari deos,
„ Et fabulantes in triclinio deas
„ Vlulando turbas.Bonzius ſtringit labra,
Plenaque tonitruum plauſtra voluit in ſtygem,
Niſi Lodoici tortor inde quiſpiam
Aduolet,acerbis ſe flagellis hoc die
Tergora deorum nuda Cami & Fotoqui
Pice redditurum molliora liquidâ.
Et verò morem gerere dæmon Bonzio
Optaſſet equidem,tot rogatus vocibus,
Tot impetitus execrationibus,
Et præſtò præſenſque aderat,hinc circumfremens,
Hinc more verris impias ſpumas vomens,
Crucem Fidemque Lodoici abominans,
Quæ ſua dearment cornua,vngues exuant,
Dentes reuellant,robur omne diſſipent.
Sed & redire Ditis in furuas domos
Caſſo veretur opere,nilque noxius.
(Namque cruciatus,damna,noxas,noxias,
Vt penſa,regi dæmones ſoluunt ſuo,
In pelle pœnas ni velint,penſi loco.)
Quid faciat? iras vertere aliò deſtinat.
Attonitus hoſpes Lodoici,Bonzium
M Inſa-

Insanientem has improbas insanias
Spectabat oculis nil minus opinantibus;
In hunc repentè genius ater insilit,
Nil Christiani veritus in eo symboli.
Vbi sensit hospes hospitem stygium sua
Inire membra, gnarus auctorem mali,
Quo premitur, esse Bonzium, mox & suum
Furere furorem cœpit, illum calcibus
Pugnisque mactat, & probris acerrimis,
Donec oneratus, vt decebat, se eripit
Bonzius; & ipse, qui premebat hospitem
Dæmon sibi suâ consuluit etiam fugâ.
Tunc Lodoico liber hospes accidens,
Crucem Fidemque Christianam laudibus
Facundus effert, atque Iaponum dijs
Ritè abnegatis, Christianum se fore.
I sacrificule, vendita vires tuas,
Pugnos tibi suos hospes hic gratis dedit,
Vt euocati vim probares dæmonis.
Macte Lodoice: si Neophytus id potes,
Quid poteris vbi te maior ardor ac fides
Prouectiorem Iaponiæ dabunt tuæ?

Matrona Germana Ministros hæreticos omnia Fato regi dictitantes egregiè deludi[t] fictè eos ad prandium opiparum inuitan[s] & impransos dimittens.

Ex Florim. & Galasso.

PArisinus olim celebris auctor est mihi,
Ausim vt chimæram dicere chimærissimam,
Quan

Quam ſibi Vetuſtas in ſuo errorum chao,
Quamq́ue ſibi Nouitas hæretica eodem in ſuo,
Dixere Fatum. Supra Olympi fornices
Fatum eſt volumen orbe toto grandius,
Cui folia duro è chalybe denſa ſe premunt,
Innumera numero, vaſtitate immania,
Et æuiternis obſerata laminis.
Hìc Domina rerum, vt ſomniant, Neceſſitas
Scripſit adamante, quid futurum ſingulis,
Quos terra tulerit, aut ferat, mortalibus
Abſ æuo in æuum, tam charactere improbo,
Tam pertinace, vt aſtra qui cælo queunt
Mouere Superi, Fata non queant ſtatu.
His regitur orbis lege inextricabili:
Deus ipſus, aiunt ore blaſphemo, his ſubeſt.
Scortare, pergræcare, macta, peiera;
Tuus eſt Olympus iure, ſi in Fatis ſiet.
Diuos fatiga precibus, & egenos ſtipe,
Dorſum flagellis, ventrem inanitatibus,
Haud dubia es orci præda, ſi in Fatis id eſt,
Vt mentiantur Fata, numquam feceris.
Hinc caſſa, ſterilis, nulla libertas tui eſt,
Quidquid Papiſtæ grunniant, arbitrij.
Hæreſeos hæc ſunt aurea axiomata;
Tota hiſce reboant roſtra prædicantica.
Eſt & Miniſtras, & Miniſtrarum aſſeclas,
Eſt & puellas ad lucernam garrulas
Audire lanâ cum ſuâ Fatum loqui.
Si cui familiæ commoda è voto fluunt;
Vt illa fluerent commoda, in Fatis fuit.
Si tibi ſceleſta eſt vxor, in Fatis erat,
Hanc vt ſceleſtâ luce duceres domum.

Si quam maritus fuste deartuauerat,
Fors è popinâ vel lupanari redux,
Illaque Ministri se tulisset in domum,
Solatijque consilijque gratiâ;
Barbam Minister hinc & inde nens suam,
Responsitabat: Perfer, in Fatis erat,
Vt te hac maritus dote ditem redderet.
Istæc subinde ab ore Caluinistico
Germana mulier nec lubenter hauserat,
Probè maligna, si malignitas fuit
Germana, si non & proba, probo dum dolo,
Vt edoceret, Fata quid rei gerant,
Stato Ministris & Ministrabus die
Cunctis id vrbis adparare prandium
Simulat opimum, præque triduo monet.
Totus vocatis triduum hoc annus fuit.
Inter ea cultros fuscinasque, sed priùs
Acuêre dentes cote; nec ientaculum
Præsumere ausi, vixque cœnam pridie;
Ne dapibus vllum pessulum istinc obderent.
Iam præstituta vix dies affulserat,
Venêre celeres. Vidua conuiuas iubet
Saluere vultu quà potest lenissimo,
Amœnam in aulam, quisque vt aduentauerant,
Poscit vt & ineant. Aula erat tapetijs
Amicta muros vndique Babylonicis,
Medioque longa & niuea mappis Belgicis,
Quadrisque strata mensa collucentibus.
Terni, quaterni, sese vt occursus dedit,
Stabant Ministri, mutuis sermonibus,
Vt fit, serentes varia. De Fato fuit
Qui verba sereret: En vt in Fatis erat,

Nos

» Nos hoc vt epulo prosperaret inclyto
» Matrona. Viuat, Fata viuat prospera,
Dixere cuncti. Dumque Fata extollerent,
Ibat, redibat, hospitum velut vicem
Anxia, salilla iam mouens argentea,
Iam quadra numerans, iam cathêdras, vt moram
Solerter aliam mulier ex aliâ trahat.
Tum fortè Boreas frigoris acuti pater,
Niuosus alis peruolabat aëra:
Pruina barbis hæsitabat horridis:
Cale-vt illa-fiat tantulum, dum prandium
Fatale prodit, ligna mandantur foco,
Sed apta fumo suscitando, non foco,
Viridia siluæ iam recentis pignora,
Densas ab oculis excitura lacrymas.
Nunc in culinam, nunc in aulam refluens,
Mensæ accubare num velint, demum rogat.
Cupidiùs illi se in suos iactant toros,
Mensamque festinantiùs circumsedent,
Quàm se vibrassent in lepusculum canes.
At ecce, vt abacum more cohonestent suo,
Famuli culullis plena bicubitalibus
Canistra portant, quæ saliuam protinus
Mouere siccis aduenis. Isti sua
Ad Fata remeant, speque Fata deuorant
Elixa, frixa, tosta, conditanea.
Nunc prima, tum secunda, iamque tertia
Sonuerat hora, sed sonabant acriùs
Sua cuique dudum vacua ventris atria,
Solis inambulata bombis. Interim
Nihil ciborum; sola vox famulantium hæc
(Iam iamque) fertur, hospes vt Italus solet

(Iam iamq́ue) si quid depopoſceris, dare.
Si mica ſaltem Cereris in promptu foret,
Foret vnde primam pellerent aliquò famem.
Vltrò ergo ſeruis & citrò meantibus,
Oculum frequentem dant in aulæ ianuam,
An nil geratur: inde pronam deſtinant
Aurem in culinam, num veru etiamnum crepet.
Diu crepuerat, & fatigarat canem,
Nihilq́ue præter ferrum inane aſſauerat.
„ Numquámne tandem? (dixit impotentior,
Et fortè ſenior è Miniſtris quiſpiam,
Cui ſtomachus allatrabat imperioſiùs,
Lacrymoſa fumo lippiebant lumina,
Siccuſq́ue in abaco cyathus augebat ſitim)
„ Numquámne tandem prandiũ? nunc tempus eſt
„ Etiam merendæ. Hos oris ac ſtomachi ſonos
Tumultuantum de propinquo inaudiens
Matrona prodit, ore compoſito grauis,
Et has, ſalutem poſt datam, voces dedit:
„ Vos ô Miniſtri, vos Miniſtræ parcite:
„ Vt fragilis, vt maligna, mentiri queo;
„ Vt Fata mentiantur, haudquaquam meæ,
„ Haud veſtræ, opinor, eſt opis, qui millies
„ Hæc dicta noſtris intuliſtis auribus.
„ Vos vt vocarem, fateor, in Fatis fuit:
„ Sed quod mihi vobiſq́ue cum primis dolet,
„ Vt nil pararem ferculi, nil poculi,
„ Nil iurulenti, prorſus in Fatis erat.
„ Vt mihi deeſſet Bacchus, & deeſſet Ceres,
„ Haud vlla perdix eſſet, haud cupediæ,
„ Vt veſtra ſolas ora biberent lacrymas,
„ Fumoq́ue paſcerentur implacabili,

„ Fata

„ Fata voluere,nec reluctari fuit.
„ Vt video,ieiunis domum atque abstemijs
„ Hinc emigrandum,& istud in Fatis erat.
„ Pleni ergo Fatis emigrate,dum lubet.
Dixit,recessit. Nemo non sese intuens
Stupefactus hæsit,sed famelicus magis.
Igitur an alibi fortè restent abdita
Melioris escæ Fata,visuri domum
Abeunt Ministrâ quisque cum suâ,& suis
Fatis nefastis imprecati pessima,
Peiora vafræ comminantur hospitæ.
Saltem è culullis illa grandioribus
Dedisset haustum:At(stolida si fas est dari
Responsa stolidis)haud id in Fatis fuit.

Rusticus quidam ebrius, recusantibus domesticis cum eo noctu cœnare, dæmones inuitat. Adsunt, sed mox inuocato Iesu nomine abiguntur.

Ex Simon. Macol. tom. 3.

ALios ministros atque conuiuas domi
Temulentus habuit rusticus. Huic Nollëus
Nomen erat; vxor liberique sat probi;
Nec audiebat ipse pessimus,nisi
Quòd pellubenti fauce siccaret scyphos.
Ergo à popinâ,tota vbi Dionysia
Iam pænè perpotauerat,noctu redux,
Vt ebriorum moris est,mensam sibi
Statim apparari mandat,& sterni cibis,

Zythoque præpotente. Parent ocyùs
Coniux, & vnà liberi. Postquam suo
» Tripode resedit querneo, Quin vos, ait,
» Cœnare mecum nunc volo: discumbite,
» Aegra hæc malignâ febre Bacchanalia,
» Mediumque carnes inter & pisces diem hunc
» Sepelite mecum in ampliore cantharo.
Vxor renuere, deprecari liberi
Cœpêre, cœnâ iam diu saturos suâ,
Somnoque valido dictitare se opprimi.
Tum furor in altum Nollei capitolium
» Conscendit atrox & minax: Ni accumbitis,
» Ni poculum istud exinanitis modò,
» Tot ego ab Auerno huc euocabo dæmonas,
» Qui latera stipent nunc recumbentis mea,
» Quot in hypocausto stare vos hîc conspicor.
Trepidâ silebant cum parente pignora.
» Tunc ille: Adeste, adeste ab imo Tartaro,
» Sed absque rostro & cornibus, septem incolæ
» Tristis Acherontis, & rebellium locos
» Sex filiorum, coniugisque dyscolæ
» Opplete: pernam hanc, & fabas, & allia
» Vorate mecum. Dixerat; vix dixerat,
En tibi inopina turba, collapsu leui
Quà per fenestras, quà per hypocaustum, viri
Septem astitêre, grandiores corpore,
Virides galero, pallioque, & cetera,
Quales maleficis se exhibent amasij,
Illas ad Hirci prouocantes oscula.
Spectante, sed tremente primùm Nolleo,
Fugêre proles in penitiorem larem,
Suo vt parenti poscerent opem prece.

Vxor

Vxor mariti sollicita vicem, stetit
Visura, subiti quid patrarent hospites,
Sed tacita fundens vota, mente supplice.
Fortuna (Vates vt ait) audaces iuuat,
Sed auspicata iuuit hunc audacia.
„ Toruo igitur ore sciscitatur: Quid rei,
„ Et cur id horæ? Non vocasti iam? inquiunt.
„ Venimus, & huius esse consortes cibi
„ Gestijmus: auidos, vt meremur, excipe
Pancraticè, opiparè, & hilariter, sed non piè.
Mora nulla, tripoda quisque corripiunt suum,
Lateraque pressant accubantis Nollei.
Mox ille pernam, alter fabas, hic allia
Properante raptabat manu; cùm Nolleus,
„ Quænam, inquit, istæc hospitum impudentia est?
„ Næ vos in aulâ video ego Plutoniâ
„ Natos & altos. Hoc in orbe viuitur
„ Et bibitur aliter: libat hac mensâ cibum
„ Potumque nemo, quin Iesu nomine
„ Priùs inuocato, & ritè formatâ Cruce.
Audito Iesu nomine, inspectâ Cruce,
Quam mediâ in aurâ pinxit iste maximam,
Abiere stygij protinus foràs canes,
Fœtore post se (sic amant olidissimi)
Fœdè relicto: thus id inferni fuit.
Propter hypocaustum (cuius ergô nescio)
Delituit vnus, fortè reliquorum caput.
Hunc conspicatus Nolleus, eadem fide
Et sacrosanctis fretus armis, acriùs
Increpat, & oculis vrget euibrantibus:
„ Etiámne scurra restitas? istoc meum
„ Quid ad hypocaustum nunc tibi negotij est?

„ In tuo Acheronte non calescis plus satis?
Exinde raptans obuiam vxoris colum,
Hanc rectà in aures destinabat improbi,
Sed ictum is anteuertit, ac euanuit.
„ Contemne, ride, falle, punge, conspue,
„ Si dederit ansam, dente morde dæmonem,
„ Vel, vt ille quondam, carpe nasum forcipe;
„ Is præ tumoris ac superbiæ typho
„ Ringet, vlulabit, nigra mordebit labra,
„ Tandemque fugiet, nec feret conuitia.

Damianus Iapon cæcus bellè territat iuuenculas aulicas ethnicas, falsò Iesuitis in exilium pulsis esum humanæ carnis exprobrantes, arrepto earum pedisequo, ac si eum vorare vellet.

Ex lit. Iapon. 1589.

CAlumniarum conditor veterrimus,
Cui iure summo diabolus nomen datum est,
Aetate vt omni & omni vt orbe turpia
Facinora falsò semper impegit bonis;
Sic vbi Iaponibus nuper illata est fides,
Sategit, & peregit, hostes vt suos
Socios Iesu, à sole nostro conuenas,
Vorare carnes, sanguinemque sugere
Infantulorum, fama mendax spargeret.
Hinc & aliunde suasus amandauerat
Illos Dynasta Iapon Amangucciâ
Abs vrbe. Vacuâ fortè in exulum domo

Tres

Tres quatuórve Neophyti planctu pio
Referre casum hunc,& dolere cœperant,
Quando leuiculas nobiles iuuenculas
Illuc ab aulâ curiositas tulit,
Vt naso & oculo,& ore prono quærerent,
Quid carniúmve,viscerúmve,aut ossium
Superesset hominum,quo suo immanissimo
Ritu comessent Iesuitæ,iam recèns
Foras abacti. Vix culinam viderant
Furnumque,nares opprimunt,crebris humum
Sputis lacessunt,ac si odos recentior
Restet etiamnum carnis humanæ id loci.
„ Quis nidor,aiunt,naribus nostris subit
„ Insolitus,atrox? quispiam certò puer
„ Hîc nuper assus,aut in isto coctus est
„ Furno,vt cruento dente moleretur,dein
„ In stomachum abiret improbum. O factum benè,
„ Rege imperante,dum nefasta fæx virûm est
„ Abire regno iussa,quam satius foret
„ Abire iussam de Iaponiâ in crucem.
Hoc se inter istæ noctuæ melos dabant,
Dum Christianos inter illic ceteros
Damianus aderat,cæcus ille,nomine
Fideque celebris,nec minùs solertiâ.
In hunc subinde hîc tela vibrarunt sua
Fauces maledicæ: sed silens & prouidus
Voluebat,ecquod par pari reponeret.
Postquam culinam cum sacello & atrijs,
Ceu vulgus impudentium sueuit canum,
Lustrâre,sursum scandere his animus fuit;
Cum Damiano solus,hunc vt luderet,
Moratus aliquis è gynæceo puer,

Et is ab Honore, vt nuncupant, nebulunculus
Procax, ſceleſtus, vt ſolent; hic pallium
Hinc inde cæci vellicare, arundinem
Nunc admouere naribus, nunc auribus,
In Ieſuitas probra, quæ plures amant,
Et mille ſannas ſpuere, ſecurus ſui.
Verùm vt propinquum noſter olfecit, manu
Haud mora prehenſum tollit, in furnum velut
Iacturus, aſſaturus, & voraturus.
Vt terror inde horridior artus occupet,
Fornacis inſtar aperit ima faucium,
Simulque dentes acuit ipſis dentibus;
Dumque puerili niſu abire brachijs
Puer laborat, pugiunculum, cui
Erat alligatus, Damianus eripit,
Tergumque fodere ſimulat. Ecquis paruulo
Pallor pauorque fuerit, haud dicto eſt opus.
Tum cæcus ore pandus in trepidi caput
Clamorem ab ipſis eruit hypochondrijs:
" Heus famule, ligna fer citus, fer fomitem,
" Vt furnus inflammetur; in promptu eſt caro,
" Caro mollicella, par ferinæ nobili.
" Quàm lauta nobis cœna venit tempori!
" Citò citò; ni maturus aduenis, caput
" Crudum vorabo, iamque iamque. Homunculus
Tremebundus & rem ſeriò geri ratus,
" O dominæ, adeſte, adeſte, mihi mors imminet,
" Adeſte, clamat, ferte opem, iam iam voror,
" O Dominæ. At illæ pænè de ſcalis ruunt,
Et intuentur ſemienectum hunc metu,
Illum vibratâ pugionis cuſpide
Proxima minari, ſi propinquent, funera.

" Quid

„ Quid agis nefande?clamitarunt eminus.
„ Quid agis?quid in te potuit insons hic puer?
Damianus iterùm voce mugit ferreâ:
„ Ecquid moraris,famule?nunc oportuit
„ Assata furno membra,frixaque ilia
„ Illata mensæ,mox vt hæ iuuenculæ
„ An caro puelli sapiat,illæ ipsæ probent,
„ Quam Iesuitis sapere mendaces volunt.
Plus puero & istæ iam tremore concuti,
Veritæ hunc vorare,& fors vorari cum suo
Vnà pedisequo,hinc molliusculè loqui,
Et verba demum mellea dare melleæ:
„ Per omnia,quæ amas,optima,illum desere
„ Bone Damiane;nil nocenti ne noce.
„ Nil nocuit?(infit ille,dirè oculos mouens)
„ Nil nocuit?Annon vos secutus impias,
„ In Iesuitas atra nunc vomuit probra,
„ Infanticidas atque carniuoros vocans?
„ *Dom.*O parce Damiane,nec dictum puta,
„ Quæ nos puerque diximus.Dicti piget.
„ *Dam.*Iam pœnitentes sceleris audio lubens.
„ Emitto:vestros redeat in sinus puer.
„ Terrore solo vos & illum punij.
Puero redempto è Damiani faucibus,
Abiere memores atque iuratæ,nihil
In Iesuitas noxiæ eiusdemmodi
Blaterare deinceps.Vanus id iussit metus.
O si id iuberet orbe nostro crebriùs,
Dum Iesuitas maleuolæ linguæ petunt,
Cœtus per omnes pænè,perque omnes locos.
Quid inter epulas?Nullibi & numquam magis.
Sed hos frequenter vna res habet malè.

Si quem accidat peccare (non ſunt Angeli)
Vnius omnis noxa noxa eſt omnium.
Minuta ſi ſit, montis inſtar ilicò eſt.
Si fortè caudam culicis admomorderint,
Caput elephanti mox voraſſe rumor eſt.
„ Mirum (vt facetus nuper Auctor edidit)
„ Mirum eſt; fuere noxij, antequam forent.
„ Hoc ſenſit orbis, in ſuis cunis iacens
„ Ad vſque canos, quos adultus nunc gerit.
„ Pomum marito Ieſuitis credulo
„ Porrexit Eua Ieſuitis credula.
„ Cainus olim fratris in caput dedit
„ Mandibulam aſelli: Ieſuitæ ſuaſerant.
„ Hiſce lapicidis atque cæmentarijs
„ Propinqua Lunæ pænè erat turris Babel.
„ Suo Abſalomus ſtruxit inſidias patri,
„ Et hic Vriæ iuſſerat necem ſtrui.
„ Quis neſcit, vnde: & fluxit inclementia
„ Hinc Iezabelis & Manaſſe, queis erant
„ A pedibus, à cubiculis, ab auribus.
„ Tandem Magiſtrum vendidit Iudas ſuum:
„ Ne dubita, id actum eſt hiſce conſultoribus.
Hæc ille conſcripſit ioco, dic ſeriò:
„ Si quid odioſi (ſeu bonum, ſeu ſit malum)
„ Alicubi factum eſt, Ieſuitæ fecerint.
„ Si quem nefanda dextra Regem ſuſtulit,
„ Dixerit in aurem Ieſuita quiſpiam
„ Crimina fatenti parricidæ, Fortiter
„ Feliciterque confodito, felix eris.
„ Si quid Senatus duriuſculum iubet,
„ Eſto, integrandis moribus probis bonum;
„ Id ab officinâ prodijt Ieſuiticâ.

„ Si

„ Si liber ab illis prodeat in auras, cui
„ Vnum insit alpha ventre grandiusculo,
„ Vel iota curuo, seu quid errati leuis;
„ Protinus in illum fulmina & volumina.
„ At si quid operum, quæ solent, illustrius
„ Superûm fauore fecerint, infra omnia
„ Id eleuatur, vellicatur, ambitûs
„ Et mentis atræ vel sinistræ carpitur.
Quid agas? cum Iesu Iesuitæ opprobria
Fatentur ortu se à suo natos pati,
Callosque grandes auribus suis gerunt,
Armosque latos & capaces criminum,
Quæ ne per vllum perpetrarunt somnium.
Vin' scire fontem, Lector aut bone aut male,
Liuorem & odium hi pessimos hostes habent.
„ Bonos subinde liuor, ast odium malos
„ Nocere semper cogit innocentibus.

Gallus & gallina assati reuiuiscunt in mensâ Iudicis, vt probetur innocentia Iuuenis peregrini suspensi, & diu in patibulo viui.

Ex Lucio Marinæo, lib. 5. de Reb. Hisp.

QVò clara Compostella peregrinos ciet
Ad sacra Iacobi Zebedæi lipsana,
Illò trahebat par piorum coniugum
Cum prole, iuuene, quem venustas & pudor
Animusque purus noxæ amabilem dabant.
Mœnia iam inierant oppidi, cognominis
Magno

Magno Dominico, quando captandæ, vt ſolent,
Quietis ergô, ſe in tabernam proximam
Tulere feſſos: ilicò hoſpes, hoſpita,
Et vtriuſque gnata dudum nubilis,
Vultu hoſpitali & commodo excipiunt lare.
Sed apparata vix ſcabella inſederant,
Rigidiſque manibus conſalutarant focum,
En ſe puerulus quiſpiam intrò clàm ingerit,
Meretrice matre genitus, & claudo patre,
Et ter nefandus, orbe ſi toto puer.
Cupido, ſi neſcitis, is nequam fuit,
Alatus ille, nudus ille ſagittifer,
Qui de latêbris tela librauit ſuis.
Boni ergo menſæ dum peregrini accubant,
Filia familias fercula his fert, ac refert,
Et vina fundit, & miniſtrat ſedula:
Sed mox ſagittâ tranſadactâ in viſcera,
Amore cæco carpitur: moram haud ferens,
Mensâ repoſtâ, ſegregem à parentibus
Aggreſſa Iuuenem, pandit incæſtam facem.
Hic ſubitò, vt olim Sol pudicorum Ioſeph,
Exarſit oculis & animo: vix dexteram
Abſtinuit, olli quin obumbraret genas,
Vti addecebat, nube pugnorum graui:
Tria modò dicta hęc, Apage proſtibulũ impudens,
Dedit, ac reliquit. Hanc vbi inopinam tulit
Voti repulſam, tætrius flammæ genus
Furibunda pellex parturit odio effero.
Abitum parabant aduenæ, cùm in manticam
Incogitantis Iuuenis hæc argenteum
Cratera mergit. Nec migrarant oppido,
Cùm fremere cœpit execrabilis lupa,

Scele-

Scelerisque nebulam proprij alieno tegens,
Cratera furto clamitare perditum,
Abire fures, improbos nunc iam hospites.
Tumultuari ciuis omnis, insequi
Repentè Prætor, & satellitium frequens:
Nec fortè passus mille ab vrbe dissitos,
Placidis meantes gressibus matrem, patrem,
Iuuenemque cogunt stare, cogunt prodere,
Quid quisque gestet se penes. Quis hîc stupor
Nati & parentum, quæ fuere lacrymæ?
Furti tenetur Beniamini mantica;
En hospitis cratera: non est vt neget.
Protinus acerbâ Iudicis sententiâ,
Frustrà reclamans, euocansque Cælites,
Damnatur ille, deque populo nigrâ
Sæuo rudenti guttur elisum dare,
Et esse coruis iussus est ientaculum.
Mœror parentes hausit implacabilis,
Nec adesse duro pertulit spectaculo.
Viam ergo cœptam prosecuti, limina
Tetigere tandem sancta Zebedæidæ.
Quæ stillicidia fletuum hîc profuderint,
Quæ vota, facilè creditur. Inter hæc aues
Aethiopes, auras quæ pererrant vndique
Ad stadia dena naribus acutissimæ,
Oculisque lynces, si qua in excelso veru
Assanda prostet, solis ad flammas, caro,
Præpetibus alis aduolarunt ocyùs,
Vt Iuuenis armos scalpturirent vnguibus,
Oculosque niueos ore sorberent nigro,
Quod volupe coruis in merendâ maximum est.
Sed inanis auida spes fefellit guttura:

Imma-

Immane, quantis circumerrarint modis.
Si fortè propiùs adnatarent arbori,
Mors nulla, Boreas aliquis aut furens Notus
Subito coortu exsibilabat hos procul
„ Verba crocitantes rauca: Quis tandem, malùm, est
„ Hic diobolaris furcifer, quem carnifex
„ Nostri esse iuris atque pastûs iusserat,
„ Nos hîc hiantes atque pallidos fame
„ Tot iam dies noctesque ridet improbè?
Hic murmurantum sermo coruorum fuit,
Dum Iuuenis & superstes, & succi integer
Conniuet oculis, nec pili coruos facit,
Nec restis vllam perleuem, aut suspendij
Vim patitur: audit transeuntes, hos sibi
Mala imprecari, illos bona. Interim sua
Vbi soluêre vota Peregrini, solum
Repetere libuit patrium, heu sine filio!
Mens fuit & illac transmeaturis, vbi
Pendêre norant, dicere extremum Vale.
Mœstæ propinquant populo, in suspiria
Planctusque versi. Vidit, & pedes mouens
„ Manusque gnatus subrigens, Iam lacrymis
„ O mater, inquit, tempera: viuus videns
„ Etiam supersum. Summa Diuorum Parens
„ Magnusque Diuus, queis fuistis supplices,
„ Vtrimque membra fulciunt innoxia.
„ O nate viuis? Viuo, propera, Iudicem
„ Et facere certum, & postulare, vt iam meæ
„ Tandem ille facilis credat innocentiæ.
Si pedibus alas Mercurî nectens suis
Volauit vmquam mulier, hæc prorsum fuit,
Quæ, dum vicissim filium affatur pater,

Præto-

Prætoris ædes impetu magno ſubit.
Is menſæ opiparæ fortè conuiuas habens,
Iubet introire, quídve poſcat eloqui,
Et elocuta eſt genibus affixis ſolo:
„ O Domine, viuit, nec potuit inſons mori,
„ O Domine, gnatus patibulo infauſto meus
„ Pendêre nuper iuſſus. Actutum iube,
„ Vt placidè ab altâ deuolutus arbore
„ Mihi patriqne redeat incolumis ſuo.
Præ nupero mœrore deliram ratus
Iudex, aperto ſplene reſponſi hoc dedit:
„ Tam viuus ille, ſic & aurâ veſcitur,
„ Quàm gallus & gallina, quos hîc conſpicis
„ Aſſos, & hinc & inde larido ſatos;
„ Quos & deartuare iam iam molior.
Dixerat, & vnà dexteram produxerat,
Vt vtrumque diſſiparet in paropſide,
En gallus & gallina vegeti, ſoſpites
Repentè iactant è ſuâ lardum cute,
Plumaſque nacti candidas, obambulant
Menſæ per æquor; obuias micas vorat
Gallina; gallus tam ſuâ, quàm coniugis
Salute lætus, hemicyclo hanc ambiens,
Expectorare cœpit alto gutture
Pæana gallinaceum. Miraculo
Stupendo adactus Prætor, eueſtigiò
Cibis relictis, cumque conuiuis abit.
Tota properantem conſecuta ciuitas
Sacra & profana, cumque ventum proximè eſt,
Vbi alacer oculis, candidiſſimus cute,
Nihilque ſolito longior ſtat pendulus,
Cui nullus imber vel pilum madefecerat,

Nec

Nec vllus ora Phœbus infuſcauerat,
Cui ne vel vmbra nocuerat volucrium,
Ille comitatum plebe cernens Iudicem,
Hos ore placido ſic supernè affatus eſt:
» En ego rapinæ nuper impactæ reus
» Scilicet, ab alto conſcius rei Deus
» Non tulit vt inſons morerer. Annon cernitis,
» Hinc vt benigna me ſiniſtra Virginis
» Semper-Beatæ non grauetur tollere,
» Et hinc Iacobi dextra? commodiſſimùm
» Vtrimque fultus viuo, nec quiſquam magis.
Haud mora, ligatis ſubter alas funibus,
Humo ſuiſque redditur plaudentibus,
Habente meritas plebe Matri Cælitum,
Deique quondam Patrueli gratias.
Quid interim gallina, quid gallus, dapes
Inter relicti? Iam probè epulatos, domum
Prætor regreſſus, ad ſacros ferri lares,
Et exhiberi confluentibus iubet
Nobile, nec antè cognitum ſpectaculum
Volucres, cruentus quas trucidarat coquus,
Spoliarat extis atque veſte plumeâ,
Demum igne toſtas, in catino conditas,
Dederat edendas, iam colore candido
Nouiſque pennis inclytas, vitâ frui
Nouâ videre eſt. Hos & in ſeptennium
Vixiſſe iurat Auctor oculatus, dein
Sibi concolores tranſdediſſe poſteris,
Maremque feminamque; quos & altero
Peperiſſe ſimiles teſtis eſt ſeptennio.
Sic vixit ac reuixit id miraculi
Pluribus ariſtis, teſtibuſque plurimis.

» O quan-

„ O quanta vis est omnium rerum Arbitri!
„ Fas mihi sit in re non nouâ verbum nouum
„ Condere, Trisarchithaumaturgus est Deus.

D. Franciscus docet Fr. Leonem quæ sit vera Religiosi hilaritas.

Ex Chronic. lib. 2. cap. 48.

Hilaria aperuit, claudat etiamnum mea
Hilaris ferendo, hilaris patrando grandia,
Magnæ Minorum gentis Assisius Pater.
Comite Leone, fratre candidissimo,
Abs Perusinis fòrs remigrabat domum,
Domum Mariæ ab Angelis cognominem.
Stringebat arua bruma crudelissima:
Ibant rigentes in lacernâ pallij;
Lorica potiùs illa quàm vestis fuit.
Cucullus instar cassidis, præ aspro gelu
Stabat rigidior diriorque ipso gelu.
Niuosus aures aquilo corrugauerat
Veteris ad instar pellis, aut frixæ vngulæ.
Naso frequentes depluebant stiriæ,
Nisi præacuto fortè pigræ frigore,
A nare starent pendulæ, quales solent
Stillicidiorum stare de canalibus.
Suam sonori musicam, nolint velint,
Vtrique dentes concinebant frigidam.
Cruciabat ima cyclas affrictu pedes.
Leo anteierat, quando Franciscus, Gradum,
„ Inclamat, ehodum siste tantillum, ô Leo.

Leo

Leo ſtitit; orſus inde proloqui Pater:
„ Si nos loquace turba monſtret indice,
„ Et dicat, Hi ſunt columina, hi ſacræ domus
„ Fulcra Lateranæ, hi vera terræ ſidera:
„ Aut ſi volucribus Fama pennis didita
„ Virûm per ora volitet, & Minoribus
„ Agmina virorum mittat vndique obuia,
„ Qui lauta dona, qui cupedias ferant;
„ Lætitia ſi nos inde titillauerit,
Hæc ſolida non eſt hilaritas, frater Leo.
Conticuit; exin pauculis à paſſibus:
„ Si de præalto pulpito ædis principis
„ Ad capita mille millies frater Minor
„ Ab ore fundat mel merum eloquentiæ
„ Sacræ, profanæ, tam potentis, ſaxea
„ Vt corda findens, fruge meliori beet;
„ Docere doctus, & mouere mobilis,
„ Lenocinari natus aptus auribus;
„ Et turba plauſus edat, & lacrymis pijs
„ Singultientes feminæ in ſolum pluant,
„ Et inde nobis gaudio cor palpitet,
Hæc ſolida non eſt hilaritas, frater Leo.
Ierant ſilentes longiuſculè; repèns
„ Franciſcus: Eſto, diſſitarum gentium
„ Eloquier ore noueris frater Leo,
„ Arcana teneas & ſoli, & cæli, & ſali,
„ Viaſque volucrum, piſciumque, ſiderumque:
„ Eſto Angelorum calleas vernaculam,
„ Franciſce, nec te præterita, nec te Leo
„ Lateant futura, & non futura (ſed Deo
„ Facilè futura, ſi luberet) omnia:
„ Rimatus altas mentis humanæ ſpecus,

Pene-

» Penetres cubile conſcientiæ intimum:
» Si pulmo bullis grandioribus tumens
» Seu tibi Leoni, ſiue Franciſco mihi,
» Tranſuerſa ſepta feriat,& riſum vocet,
Non eſt hilaritas hæc ſolida, frater Leo.
Poſt ille deinde pauca ſubſiſtens, ſuo
» Dat hæc Leoni: Si fauente ſic Deo,
» Si fuerit inquam fas tibi, fas & mihi
» Dare iura ſatanæ, deque poſſeſſâ domo
» Huic imperare reditum in illunes locos,
» Eximere ſurdas peſſulis aures ſuis,
» Redintegrare crura claudicantibus,
» Oculoſque cæcis, (quodque ſupremum eſt dari)
» Vitam ſepultis atque cinefactis dare,
» Et inde fibris nos voluptas vellicet,
» *Hæc ſolida non eſt hilaritas, frater Leo.*
Ea inter ibant; & Leo hîc impos ſui,
» Sanctéque curioſus has voces dedit:
» Quorſum iſta tandem? dic age oro, Quæ, bonum,
» (Tuam per ipſam te rogo hilaritudinem)
» Quæ ſolida tandem eſt hilaritas, Pater bone?
» Franciſcus olli: Iam ſalutatâ domo,
» Pulſaque nolâ leniùs, ſi muſſitans,
» Et toruus oculo ianitor, manu minax,
» Semi-reſeratâ ianuâ, probè agnitos
» Procul inde abeſſe mandet, errones vocet,
» Hominesque nihili, pus merum hoſpitalium,
» Suique nodis nos ſalutet cinguli,
» Nos frugiperdas, nugiuendos nuncupans:
» Has ſi ſalutes aucupemur lætiùs,
» Quàm ſi rigaret ilicet caldâ pedes,
» Aut recrearet dapibus exangues fame,

Subque

„ Subque boreali ſtragulâ, in plumâ niuis
„ Sternamur alacres & gelatâ in culcitâ,
„ Ac ſi in capillo leporis aut inter roſas
„ Meridiari mollicellas fas foret,
Hæc ſolida tandem eſt hilaritas, frater Leo.
„ Si rurſum adultâ nocte tangamus fores,
„ Sonoque tacito ianitor ſomnum ſibi
„ Intercalari frendeat, foras ruat,
„ Diriſque miſeros figat aſperioribus,
„ Sanniſque, quas non leno, non latro ferant,
„ Dein faſce grandi clauium tuas, meas
„ Malè mulctet aures, & retortis ictibus,
„ Vultum ille deuenuſtet hac aſpergine,
„ Aut terga fuſte metiatur horrido,
„ Et vtrique barbas de ſuo euellat ſolo;
„ Si probra nobis benè oleant, & verbera
„ Impacta malis naribuſque rideant,
„ Vt, vix modeſto diffluentes gaudio,
„ Reddamus alto gratias altas Deo,
„ Et ianitori lene pacis oſculum,
„ *Hæc illa tandem eſt hilaritas, frater Leo,*
„ Inambulantum Regiâ in Crucis viâ.



ELE-

ELEGIÆ.

Lacrymæ Adami.

IMmortalis eram, morboque imperuius omni,
Hoc fortunatus nomine, Iustus Adam.
Cernebam placidus, nusquã indignantibus astris,
Et nitidos Soles, & sine nube dies.
Eheu quid licuit, quid profuit esse beato,
Si mea tam præceps gaudia luctus habet!
Quid plorem furti reus, æternique laboris
Damnatus, duram vertere iussus humum?
Vnũ est quod lacrymas ciet, & ciet impete magno;
Pro me proque meo semine Iustus eram.
Hic vos congemitis, comploratisque nepotes;
Peccaui Radix impia, Rame luis.
Prô? quoties in me clamabitur, O pater Adam,
O nimium natis perniciose tuis!
Cùm malesuada vxor diuelleret vngue maligno,
Et mihi de vetitis fructibus esse daret,
Debueram dixisse, Apage hæc immitia poma,
Non comedam, coniux improba, non comedã.
Vidimus: heu menti placidæ nil tale verenti,
Tendebant oculi retia; capta fuit.
Carpsimus, & voluit me dextra monere pericli:
Fallaces oculi detinuere manum.
Edimus: & nobis lacrymabilis obstupuit dens,
Impediens pomi prætereuntis iter.

N Sed

Sed fruſtrà: fauces auidæ iam iamque vorare,
  Et dare per venas corporeoſque ſinus.
Hinc illæ lacrymæ, lamentaque poſthuma mundi:
  Quod fons deliquit, ſoluere riuus habet.
Protinus afflatos graſſata impunè per artus
  Horrida tempeſtas eripuit mihi me.
Heu! vbi ſum, exclamo, quid enim cõmiſimus vxor?
  Quid video? nuda es, turpis es, occulitor.
Abdimur in ſiluas, quò nos pudor & timor egit,
  Hîc Deus horriſonâ voce tonabat: Vbi es
Adam Adam? tacitus latui ſub fronde malignâ:
  Sed grauiore Deus voce tonabat: Vbi es?
Suſpirans ego: Quam dederas mihi, futilis vxor
  Illicitos fructus edit, & eſſe dedit.
Siccíne, ait, iuſſis contraire vxorius audes,
  Præfidenſque tui, deſpicienſque mei?
I terram ſudore riga, ſtipendia culpæ
  Nutritura tuæ terra rebellis erit.
Puluis eras, hominem cùm te compegimus, & iam
  Puluis es, &, terrâ vindice, puluis eris.
Ergo age damnatus ſudato viuere pane,
  Viue (parum tamen eſt viuere) viue miſer.
Dixerat, attonitoſque pudore, timore, dolore,
  Præcipites illinc Enſis & Ignis agunt.
Pellimur è pratis felicibus in loca tantis
  Adam digna tuis auſibus, Eua tuis.
Frondibus obtegimur, quas tradidit obuia ficus,
  Filaque nectendis nil niſi iuncus erant.
Circumſpexi oculis trepidantibus: ilicet in me
  Obuia neſcio quo de grege turba ruunt.
Curæque, Planctuſque, catenatique Dolores,
  Hinc Metus, inde Lues: hinc Sitis, inde Fames.
Hinc

Hinc etiam Morbi, varium pecus: hinc fera Bella,
Ac aliæ pestes iliadesque mali,
Oscula libantes mihi formidanda, parentis
Nomine compellant suscipiuntque sui.
O coniux, vnde hæc nobis nequissima proles?
Quando parta tibi hæc pignora, quando mihi?
Suspicio cælum; iam coniurata tonabant,
Cudebantque ignes in caput astra meum.
Aspicio terram: tribuli vndique & vndique sentes,
Quóque pedem cœpi figere, spina fuit.
Aestus erat, sedeo sub coniferâ terebintho:
En frontem rigidâ cuspide musca ferit.
Quàm dispar rerum facies, quàm discolor hora!
Quàm nocuit subdi non voluisse Deo!
Qui fueram rerum dominus, Princepsque ferarum;
Ipso etiam cælo iudice, pænè Deus,
A putri vespâ culicísve proboscide vexor:
Tam properè oderunt Principis ora sui.
Quid non audebis leo, quid non vrse rebellis,
Si mecum vilis prœlia musca gerit?
Esurij: colocynthis erat mihi proxima, carpens
Diuido, consorti distribuoque meæ.
Illa sed exclamat: Coniux quid sentio? mors est.
Vt mihi labra tument, aspice: virus inest.
Procubui tandem verba intermortua findens,
(Vocem rumpebat lacryma, vox lacrymam)
Disce Adam, vosque ô venturi discite nati,
Quàm nocuit subdi non voluisse Deo!

SCAZON.

MIsero Poëtæ blande Lector ignoſce:
Daturus ibam lacrymas Euæ matris;
Sed eæ lituras fecerant tot & tantas,
Vt & pigeret & puderet emitti.
Quid enim leporis, quid foret voluptatis
In ſemhiulco & ſeſquiaſpero verſu?
Suſpirioſum carmen, inter-&-ruptum
Singultiendo, lacrymando, plangendo,
Mihi ruborem moſſet, & tibi rictum.
Igitur premendo lacrymas abortiuas,
Meo pudori & nauſeæ tuæ parco.

Lacryma Prodigi.

O Dira eſuries, ô ineluctabilis angor!
Fruſta ſtipis paruæ tenuia nemo dabit?
Saltem ô ſi liceat miſero mihi dicere, Viuo
Porcorum reliquâ colluuione ſatur!
Ille ego qui nuper plenus conuiua regebar
Aucupio ventris ingenioque mei,
Nunc fruſtrà vel porcorum collacteus, opto
Inter putre lutum quiſquiliaſque mori.
Et moriar, cui verna domi eſt benè paſtus? Egóne
Filius extinguar diſpeream que fame?
Notus plus nimio hoſpes erã, dominuſq; vocabar,
Suffocata auro dum mihi bulga foret:
Iam toties ſcortis, toties ſupplex paraſitis,
Clamo mendicâ voce manuque, Date.
Nempe, omnes oculo me conniuente tuentur,

Et

Et nouisse, humero subsiliente, negant.
Dum siliquas nemo, glandes dat & Herculè nemo,
En mihi ieiuno sex abiere dies.
Ibo malisque bonisque auibus: nil deprecor, intus
Irâ maiori lancinat atra fames.
Quî tamen aggrediar Patrem in fœtente lacernâ
Et lacer & squallens, illuuieque grauis?
Quid faciam si me duro defixerit ore?
Quid si etiam verbis verbera iuncta velit?
Quid facerē? quod & hîc facio. Nolensq; volensq;
Perpetiar, noxis immoriarque meis.
Ergo age surgendum, & lacrymas tanto imbre pluendum est,
Eluat vt sordes, deliniatque Patrem.
Spes magna in lacrymis. Lacrymę mihi talia clamāt,
Perge, importunæ cuncta queunt lacrymæ.
Aduoluar genibus: si fas erit, oscula figam,
Si lacrymæ dederint otia, verba dabo.
Si fors singultu vox intercepta fatiscat,
Singultus viuæ pondera vocis erunt.
Quid video? Pater annoso ruit obuius impete,
Et sua pacifici brachia more parat.
O Pater (ô iusto desunt sua verba pudori,
Verborumque vicem lacryma sola subit)
Peccaui Pater, & cælum terramque fatigans,
Testes nequitiæ feci, habeoque meæ.
Ne rue in amplexus, néve ô Pater inclinator:
Quid das indignis oscula tanta genis?
Inclama, obiurga, cælique, meique tuique
Immemorem, ingratum, degeneremque voca.
Vincula si merui, si ergastula, lætus inibo:
Si vel mancipium vis fore, lætus ero.

Hoc vnum obtestor, per te matremque meam, te,
Vt recrees pauco mortua membra cibo.
Iure quidem dices, Post tot mea crimina, dices,
Auderen' escas improbus esse meas?
Siccine iners lurco, malè conciliate, nepotum
Pessime, probrosis fœde libidinibus?
Plura & plura parens probra, si lubet, ingere: feci
Plura & plura parens crimina, iure luam.
Nil mihi cū vitulo est: stola candida, nil mihi tecū:
Non est conueniens hic color, ille cibus.
Tantùm vt edam micas & frustula panis adesi,
Et si aliud non est, dentibus ossa teram.
Iure facis germane, fremens in limine restas:
Iure nimis facilem corripis ore senem.
Quò pater, & quænam pietas hæc impia? tantin'
Indecorem natum fœdifragumque facis?
Nos benè morati, nos fulcrum dulce parentis
(Obsequij tanti præmia) turba sumus.
Negligimur, vix elumbi malè pascimur hœdo,
Vix matutino conciliamur Aue.
Proderit improbitas fratri sua? proderit ausum
Progeniem factis dedecorare suis?
Sed frater, bona verba, ne in vlcere sis malus vnguis,
Iampridem perij, disperiisse velis?
Esto, decoxi vina inter, & inter amores,
Sed puduit noxæ pœnituitque meæ.
Intra, intra, Patremque vide, cui vita reuixit
Altera: lætitiæ par tibi caussa nouæ.
Gaudia gaude eadem, fraternaque brachia collo
Nondum oblita mei brachia, necte meo.
Sed vos ô famuli, vos Posteritas adiuro,
Exemplo docti quilibet este meo.

Et

Et ne, si sapitis, medium cunctaminor hilum
Temporis, exitium est exitiale mora.

Breuis ad studia Parænesis.

VIlis homo, cæli pars altera & altera terræ,
(Plus tamen è vili plus miser hausit humo)
Ore, oculo, aure, animo terram vorat, omnia tãdem
Terreus, & cæli vix melioris amans.
Quid facias, vt quod malè sorbuit, expuat, & se
Sollicitus pennâ remige tollat humo?
Fac discat: fac vt benenatam ad Pallada mentem
Deriuet curæ nobilioris amor.
Vtque lubens matutino de rore pluentes
Herba bibit gemmas, deliciasque vocat:
Sic desiderijs mens icta fidelibus optet,
Quas alit Ingenij pensilis Hortus, opes.
Ergo agedum Pubes, pretiosæ tessera laudis
Si vis, esse potes: si potes, esse velis.
» Tam citò trans Isthmon vitæ breuis itur in Altum.
» Et mors, quando voles discere, dicet, Obi.
Vnda vndam ceu trudit, odor ceu trudit odorem,
Sic agitur spatijs vita volubilibus.
Nata, renata, iterumque renata elabitur hora,
Immoriens gyris irrequieta suis.
» I propera; semper nocuit differre paratis;
» Suffocant paruæ commoda magna moræ.

Optio coronæ aureæ, vel spineæ.

ELige, vtrã malis: en Aurum, en Spina, coronæ.
Illa nitet gemmis, sentibus ista riget.

Hanc auri-montes doctus promittere Mundus
Incolit, & pellex insidiosa Caro.
Illam Sobrietas, & parcæ Tempora mensæ,
Ac illibatæ gemma Pudicitiæ.
Hanc, Epulo, tua byssus habet, tua purpura sedem;
Hîc tua mendicat, Lazare, pauperies.
Hîc vigiles curæ stabulantur: ibi otia rident
Hospita, sed pauco pòst abitura die.
Hîc morbi atque lues: mortisque cubilia febres;
Illic ridenti in corpore flens animus.
Illa viros inuitat arundineasque puellas,
Inque senes blandæ vim meretricis habet.
Hæc luteos animos, & nil nisi fictile Carnem
Territat, vt pueros mormolyceîa solent.
Ista vel illa tuæ conceditur altera vitæ:
Altera dein fatis illa vel ista tuis.
Elige vtram malis: renuunt miscerier ambæ.
Aurum viuus habes? hæc obeuntis erit.
Hac Diui, quondam præstantia nomina terræ,
Armari spinâ discupiere caput.
Hanc alij, vacui meritis, expertia cæli
Pectora, vipereo sanguine peiùs habent.
Cùm tuba supremam clangore vocauerit horam,
Qui spinam viuus gesserit, Agnus erit.
Aeterni dextram vis Iudicis, ánne sinistram?
Qui viuens aurum gesserit, Hœdus erit.
Quantæ deliciæ, Christum exaudire Beatos
Affantem placidâ voce, *Venite boni*?
Quantus erit terror hunc exaudire tonantem
Aeternum miseris auribus, *Ite mali*?
Quid facies, qui gallinæ iam filius albæ
Nil de fortunâ turbidiore bibis?

Quid

Quid curuæ in terras animæ, pecora ebria fæce,
Aut Epicuréo de grege Turba ſues?
Clamabit miſer, O quanto mihi conſtitit Aurum?
Cantabit felix, Hoc mihi Spina dedit.
Elige vtrum mauis, vel conclamare Beatis,
Vel miſeros inter vis vlulare miſer?
Sed fragilem tanto cur tempore geſto coronam?
Non amo te, procul hinc Aurea, non amo te.
Non emitur tanti ſtulteſcere. Quid mihi tecum eſt
Ementite color, cetera putre lutum?
Spinea torquis ades, frontique immerſa profundæ,
Vt lubet, occipiti ſincipitique noce;
Et felix animi cerebrum bibe, robur ab alto eſt,
Spicula nil menti ſunt nocitura meæ.
Sculpe, Corona, tua hîc gentilia, ſanguine pinge,
Frons gerat vt Domini ſtigmata viua ſui.
Excoria: pellem, non mentem tollis, & inde
Qui fluet, illuſtris dos mihi ſanguis erit.
Nondum abit in riuos ſanguis meus. Eſto: benigni
Cùm Ducis intueor Vulnera, ſperno mea.
Spinarum conſors & conſcie tormentorum,
Per te per ſi quis, Chriſte, preci locus eſt,
Connubiũ hoc placidus firma caſtoſq; hymenæos,
Nolo ſine hoc ſerto viuere, nolo mori.
Cernis homo ſpinas, ſpinas inſignia cæli,
Symbola diuinæ cernis amicitiæ?
Si ſapis, hanc capiti, dum fas eſt, inde coronam:
Quæ gerit hîc ſtimulos, pòſt referet radios.
Sed caue: quod lucere vides, eſt proditor Aurum,
Quod ferit hîc radios, pòſt adiget ſtimulos.
Ergo age, quiſquis ades meliori præditus aure,
Hæc bibe verba ſenex, hæc bibe verba puer.

» Alterum in alterius medio latet. Optima mens est
» Per bona nolle malum, per mala velle bonum.

Positus in medio, quò me vertam, nescio.

HAereo, lac inter meditans interque cruorem,
Inter delicias vberis & lateris.
Et dico (si fortè oculos super vbera tendo)
Diua Parens, mammæ gaudia posco tuæ.
Sed dico (si deinde oculos ad Vulnera verto)
O IESV, lateris gaudia malo tui.
Rem scio: prensabo, si fas erit, vbera læuâ;
Et dextrâ tacitus Vulnera corripiam.
Vbere lactari volo, sed volo Sanguine pasci,
Delicijsque tuis Christe, Maria tuis.
Vulnera sed nati tua sunt, da Vulnera Mater;
Vbera sed tua sunt, vbera Nate dato.
Vbera si abnuitis, concedite Vulnera; tandem
Vulnera si abnuitis, vbera sola date.
Lac Matris miscere volo cum Sanguine Nati,
Non possem antidoto nobiliore frui.
Lacte niues anteibo, rosas anteibo cruore,
Efficiet purum mamma, cruor vegetum.
Vulnera restituent turpem vlceribus mendicum,
Testa cui saniem radere sola potest.
Vbera restinguent pueri sitientia labra,
Quem Sara non patitur, quem neq; nutrit Agar.
Illa mihi ad pestem procul & procul expungẽdam,
Ista mihi ad longas eualitura febres.
Vanus honos me perpetuâ prurigine tentat?
Exsaturare queo Sanguine, lacte queo.

Liuor

Liuor inexpletâ rubigine sæuit in artus?
   Detergêre queo lacte,cruore queo.
Ergo Parens & Nate,meis aduertite votis,
   Et date posse frui Sanguine,lacte frui.
Paruule,maternis medius qui ludis in vlnis,
   Qui tua iam comples vbera,iam vacuas,
Quid me respectas obliqua tuentibus hirquis?
   Roboris in cælum nil modò liuor habet.
Sæpè quidem dixti,noxis offensus iniquis,
   Túne meas mammas improbe,túne meas?
Nolo tuas,ô nolo tuas,Puer aurec,mammas:
   Non sum tam duri,tam grauis oris homo.
Intrarit Thomæ manus in lateris mare magnum,
   Sanguine regrediens ditior,atque fide.
Non eadem mihi frons: Pudor antegressus Amori,
   Est desiderijs meta modusque meis.
Sat foret effusi pars exiguissima lactis,
   Illaque me niueum redderet,imò niuem.
Si scintilla potest magnas accendere flammas,
   Cur non exstinguat lactea gutta sitim?
O si vel lateris pluat vnica & vnica stilla!
   O si è dextræ Vulnere gutta fluat!
Si nihil è dextrâ vis impluere,implue læuâ;
   Si nihil è læuâ,de pede sanguis eat.
Si tibi non placeo,vulnus mihi Vulnera danto;
   Mercedem danto Vulnera,si placeo.
Sæpè mihi Babylon paterâ propinat & auro,
   Ingeminatque meis auribus,Euge bibe,
Non faciam,vel si cælum miscebitur orco,
   Rumparis meretrix impia,non faciam.
O sitio tamen?ô vocem sitis intercludit!
   Nate,cruore sitim comprime,lacte Parens.

Dic Matri, Meus hic frater sitit; optima Mater,
Vis de fonte tuo promere, deque meo?
Dic Nato, Tuus hic frater, mi mellee fili,
Captiuus monstrat vincula, lytron habes.
Nate Redemptorem monstra te iure vocari,
Fertilior reliquis si tibi sanguis inest.
Tuque Parens, monstra Matrem te iure vocari,
Vbera si reliquis diuitiora geris.
O quando lactabor ab vbere, Vulnere pascar,
Delicijsque fruar, mamma, latusque, tuis;
Parce Deus, magno si te clamore fatigem,
Non potis imperio, non potis arte regi.
Exagitante siti Patientia perdit habenas;
Clamorem si vis tollere, tolle sitim.
Pluris ego clauis, saturasti Sanguine clauos,
Erubuit cuspis Sanguine tincta tuo.
Pluris ego pannis, maduerunt vndique panni
Nati à Vulneribus, Matris ab vberibus.
Ergo Parens & Nate, meis aduertite votis,
Et date posse frui Sanguine, lacte frui.
Vultis emi lacrymis? lacrymas effundere tento,
Sed lacrymæ è duro non abeunt silice.

Angelo Custodi.

ANgele mi, bone dux animæ, bone mẽtis Achates,
Quo sine nõ possum viuere, nolo mori,
Ausim ego progenies lutea, & mera pulueris vmă,
Tecum naturâ cælite pauca loqui?
Tu mihi, cùm primum vitæ iubar editus hausi,
Antistes vitæ iussus es esse meæ.
Iussus es infantem, puerum, iuuenemq́; virumque,
Atque senem, curâ non abeunte sequi.

Dum

Dum iacui in cunis, dum fleui matris in vlnis,
  Sensi te lacrymas extenuare meas.
Dum volui genibus niti, dum verba creare
  Non satis experto dimidiata sono,
Per te molle genu cœpit solidescere nodo,
  Per te lingua suis est animata notis.
Sæpè fui sorbendus aquis, sæpè igne vorandus,
  Sed timuêre tuas ignis & vnda minas.
Sæpè sub incautis nutricibus extinguendum
  Me tua surripuit prouida cura mei.
Esto: dies abeant, menses moriantur & anni;
  Anne putas simili lege peribit amor?
Viuit amor longùm: æternùm dux optime viuet,
  Qui concors mihi te, me tibi iunxit amor.
Angeli mi, bone dux animæ, bone mentis Achates,
  Quo sine non possum viuere, nolo mori;
Fac viuam cælo gratissimus, vtilis orbi,
  Contentus paruo, despiciensque mei.
Si me somnus habet, cude aurea somnia: fallor,
  Duc de sidereis somnia Cælitibus.
Dumque preces fundo, calatho bonus excipe fusas,
  Ex his virgineâ confice serta manu,
Et porta in cælum, & cælo pariter in omnes,
  Prima Deo, Superis dona secunda ferens.
Si fors & lacrymas oculis interpluo paucas,
  Fac placeant paucæ pumicis hæ lacrymæ.
Si Sophiæ, si Theologos tentabo recessus;
  Da vel pauca tui segmina iudicij.
Si bona pangendis in versibus otia fallam,
  Præcipe vt è venâ diuitiore fluant.
Dum loquor, arte meas sic interiungito voces,
  Ne lædant Superos, terrigenasque grauent.

Dum taceo, soli mores vultusque loquantur,
Daque legi in mediâ fronte pudicitiam.
Angele mi, bone dux animæ, bone mentis Achates,
Quo sine non possum viuere, nolo mori,
Si comedo, numquam satur hinc conuiua recedā,
Vt citò pulsa, citò sit reuocanda fames.
Si bibo, per siccas ita dent se pocula venas,
Vt nullam menti vim malesana ferant.
O caue ne titubem, & videam per inane geri res,
Deliretque suis ebria lingua rotis.
Si lusu vires renouo, curasque leuasso,
Fac ludus metæ prosperioris eat.
Velle aurem, si transgrediar data tempora lusu;
Corripe, transiliam si sine lege modum.
Si quà prætereo, vult tegula linquere tectum,
Dic sistat, nisi me præterijsse scias.
Si cælum terræ iratum sua fulmina vibret,
Excipe, fortior est fulmine dextra tibi.
Si mare conscendam, mare formidabile nautis,
Fac vt pacificâ net mihi linter aquâ.
Angele mi, bone dux animæ, bone mentis Achates,
Quo sine non possum viuere, nolo mori,
Fac hostem me delicijs, fac honoribus hostem,
Ne nimis hæc rerum tenuia stultus amem.
Fac vt delicias nolim præponere cælo,
Ne pro tam certis tam malè certa velim.
Non sim de tetricis, non sim de magna professis,
Nec cupiam vt de me prædicet orbis; Hic est.
Pone meas, si fortè volunt vlciscier, iras;
Semper sim placidæ cultor amicitiæ.
Si me luctus edit, putrem illi deijce dentem,
Et prohibe curas, vlcera mentis, ali.

Dum

Dum lassi fuerint anni, dum in fronte senectus
Describet rugas, inficietque comas.
Sit mihi mens sceleris pura, & fecunda bonorum;
Nec doleam irreduces præterijsse dies.
Tum velut è speculâ (si fòrs malus ingruat hostis;
Si fòrs occultas apparet insidias)
Angele mi, bone dux animæ, bone mẽtis Achates,
Quo sine non possum viuere, nolo mori,
Suppetias affer, fraudes expunge malignas,
Quas in cælituum dedecus ille creat.
Si mala mors struat exitium, nondumque parato
Immineat, furis insidiosa meis;
Punge aurem mihi, conclama, Gazæ parator,
Post aliquot soles mors tibi dicet, Obi.
Tunc ego præcipites lacrymas rupto aggere fundã,
Tersuras nostræ crimina pigritiæ;
Tersuras si vel tenuis puluisculus adsit,
Qui fieret magnis nausea Cælitibus.
Inferni lupus ille, siti sitientior ipsâ
Circumeat frustrà, dispereatque siti;
Indignans fremat, & dentem sub dente fatigans,
Deuoret inuidiæ præmia digna suæ.
Exanguem letho dedam facilis ceruicem,
Depositoque lubens corpore, condar humo.
Tum duce te, nihil aut minimum debebimus Igni,
Fas erit extemplò dicere, Transijmus.
Iungetur Superis animus magis aureus auro,
Hausurus pleno gutture delicias.
Angele mi, bone dux animæ, bone mentis Achates,
Te sine non possum viuere, nolo mori,
Da vocemq; oculumq; animumq, manũq;, volabo,
Et mox ad Superos te comitante ferar.

SS. Sa-

SS. Sacramento in Supplicatione solemni Fides lampadem, Spes anchoram, Charitas cor offert.

FIDES.

CHriste Deus, fidei lux optima maxima nostræ,
Anne sat hæc animi tessera lampas erit?

Spes.

Christe salus hominum, mihi sola hæc anchora restat,
Huic tu portus eris, hæc tibi munus erit.

Charitas.

O amo te Deus, ô amo te: sint sidera testes,
Testis erit pelagus, terraque testis erit.

Spes anchoram demittit.

CArnea nauis homo est; mundus mare, dæmones Euri,
Irrequieta mouent prœlia: Christe iuua.
Nauta furor, vitium sentina, & crimina fluctus,
Exitium iurant texere: Christe iuua.
Delitiæ Sirenes, opes vada, Syrtis honores,
Præcipitant nauim mergere: Christe iuua.
I facilem portum feliciter anchora morde:)
Læta erit hæc statio, nec malefida rati.

Fides

Fides lampadem.

I Mea fumantem delabere lampas in aram:
Si te diripiant nubila, lumen erit.
Pallidus iratas Orcus vomat & vomat vndas,
Vt mergat lucem quam geris: agger erit.
Sanguinis humani vitium, fæx putida terræ
Ne te surripiat hæresis, Argus erit.
Christe lucerna tuam, leuidensæ munus, ad aram
Mittitur obsequij symbolon, & fidei.

Charitas.

CHriste tuis fixũ cor mitto hinc inde sagittis,
Sic tua fixerunt munera, fixit amor.
Dilutum est lacrymis cæli extinguentibus iras;
Vt passo tibi sit concolor, erubuit.
Et molle & tenerum est, qualis dum carpitur igni
Cera, vel hibernâ dum fluit vnda niue.
Occlusum est terræ, cælo patet: implue rorem:
Numquam dis pluuiæ fertilioris erit.
I cor, & his lætum te siste fideliter aris.
Iam tantùm calor es terreus, ignis eris.
Cernis homo tenui labentia munera filo?
Hæc abs te poscit, qui tibi factus Homo.

Elegidion in aduentum Archiducis Ernesti, Gubernatoris Belgij.

PArcite qui nostro concurritis æquore, Vates.
Hæc de Theologo littore nauis ijt.

Vix ausa est; timuit membrum irritabile linguas:
Iure rates paruas hæc echenæis habet.
I manus,& titubans isthæc chartacea curre
Auspicibus Diuis æquora, nauis eris.
I calame & propera, vastū nimis æquor arandū est:
In magno laudum gurgite remus eris.
Tu mea Mens esto Zephyrus, feliciter affla.
Non ausim sine te paucula verba loqui.
Pace tuâ, puppe hac fragili decurrere tento
Erneste, ô laudes æquora lata tuas.
Ite igitur versus elego pede: namque Ernestus
(Hoc mihi iurauit Fama) benignus erit.
Austriadæ Magni (felix genus, æmula cælo
Nomina, nominibus omina, & ominibus
Maiores animi, quantum sol æthera, quantum
Exsuperant solem sidera prima suum)
Austriadæ Magni Magnum tibi, Belgia, donant
Ernestum, decori præsidioque tuo.
Ioannem dederant quondam: vix vidimus, eheu
Vix potuit dici viuere, cùm moritur.
O si! sed sileo: lacrymas mea vota vocarent:
Ingruerent fluctus, disijcerentque ratem.
Sed sinite ô fluctus, ne colluctaminor vndæ,
Nostraque inoffenso tramite nauis eat.
Vt Belgî felicis opes, dilectaque cælo
Rura domum redeant, & sua pace colant,
Mille date ô Carolos Superi, date mille Philippos,
Et mille Austriacos: mille sed vnus erit
Cæsaribus diues Magnis Ernestus. In vno
Plorantis Belgî stat benè nata fides.
Cæsareus sanguis, mens Regia, plurima spondent.
Plura tamen virtus insita, plura Deus.

En

En pænè insculpta est mediæ Prudentia fronti;
  Si tanta est frontis, quanta ea mentis erit?
O quem te memorē ô Erneste, Cupidinis hostem,
  Sectantem castæ castra Pudicitiæ?
Fama sono gliscente meas peruenit ad aures,
  Aulam quòd subeat femina nulla tuam,
O arbor felix, vbi nidum, Artisque cubile
  Feminei generis nulla reponit auis.
Ecquid enim quàm corrumpi, & corrūpere norunt,
  In quibus impurâ fæce resídit Amor?
Laudo Erneste, fugis putentes sordibus aulas.
  Huius magna fugæ præmia, magnus honos,
Tantam nulla dies edet aut obliuio laudem:
  Nulla tuæ famæ portio, mortis erit.
Nónne bonæ ista spei sunt Promontoria? gaude,
  Et finem cursu iam mea nauis habe.
Pace tuâ sit fas Erneste, quiescere naui,
  Fessa est, lentescit remus, & Eurus adest.
Hoc vnum quod te obtestor, quod te alloquor hoc est,
  Fac bellum impositis Belga premat pedibus.
Dic Paci vt redeat tandem, luctu exule tandem:
  O nimiùm à Belgis abfuit illa diu!
Tuque Deus, sine quo nemo vel prosit amando,
  Ferre vel ausit opem, vel date possit opes.
Ernestum hunc oculo Regum custode gubernans,
  Præstò semper opem porrige, confer opes.

In obitum eiusdem Archiducis.

ERnestus (cessate oculi, cur mittitis imbrem,
  Cur pluitis lacrymas, inficitisque notas?)
Ernestus (vox singultu, manus ebria planctu

Impe-

Impediunt calami præcipitantis iter)
Ernestus(cessa tandem,dolor improbe,cessa,
Et patere hoc vnum scribier)occubuit.
Occubuit?sic à ferro remeatis ad aurum
Sæcula,iam nostris colliquefacta malis?
Magne Philippe,vides,sentis,paterisque tot annos
Spemque tuam incidi,votaque nostra mori?
Adiuro te Fama,Nepotibus omnia narra,
Et dic,Hoc Belgis tempore præda fuit.
Da veniam Lector,partem diuersus in omnem
Si trahor,hæc ingens robora luctus habet.
Cùm dolor huc illuc & vtroque sine arte vagatur,
Irrequies,sensu dispare carmen abit.
Et volui(fieret mœroris vt aptior index)
Serperet vt prono pectore versus humi.
Dum rosa,veris honos,medio aëre pendula,tentat,
Solis ope, è claustro corticis ire sui,
Impediunt imbres,solem negat inuida nubes,
Inuitam claudunt frigora dura domi.
Illa suum Solem inclamat,Phœbe optime,mõstra
Terrarum dominum,Phœbe,supercilium.
Quid mihi tantus odor,tenui si cortice vinctus,
Aëreas remex non queat ire vias?
Quid color hic roseus,pluuio si putridus imbre,
Aut si concretus frigore dispereat?
Dispeream potiùs, proprio quàm carcere claudar,
Quàm captiua diu viuere,malo mori.
Hæc eadem ex imo suspiria suspirabat
Aurea Pax,diro carcere clausa diu;
Sed frustrà:nimius telorum depluit imber,
Et crebris cælum nubibus arma tegunt.
Venerat Ernestus,terris fatale regendis

Nomen,

Nomen,& imperij pars Alcmanne tui.
Tollere visa fuit fessum caput,& respirans
Belgia,Iam tandem libera,dixit,ero.
Et subitò quantos potuit commenta triumphos,
Germanum excepit,Diue Rodolphe,tuum.
Cuius vox placida,& vultu præcone serena,
Viuite,ait,cæli iam melioris ope.
Viuite,quam cupitis,Pacem fero:lenius Astrum
Hoc rerum pelago Belgica Nauis habes.
Quo gestis vento,flectemus vela,nec ibunt
Nostra aliò votis dissona vota tuis.
Hoc alacres velis remisque subibimus Altum
Curarum,hic nobis nabitur Oceanus.
Ilicet aure bibens auidâ Pacem,celeri spe
Belgia felicem præcipiebat opem.
Ah Belgæ,non sic felicibus esse licebit!
Prospera sors aliò mobile flexit iter.
Ite foras lacrymæ;validas imitaminor vndas:
Namque dolor ruptis imperat aggeribus.
Dum requiem exsudat, Pacemq; medullitus ardet,
Ernestus subito vulnere mortis obit.
Anne putas somnum Deus atque obliuia quærit,
Deque infelici nil meditatur humo?
Sic Atheas longè mentes agit in transuersa
Progenies calami Macchiauelle tui.
Nostra, Deus, nostrâ hanc tudentia crimina sortẽ,
Vindice te,nobis eripuere virum.
Ergo abijt,numquam rediturus ab hospite cælo?
Ergo abière tuæ,Belgia,deliciæ?
Indignare feris manibus Mors improba:nónne
Falcem debuerant continuisse tuam?
Sat citò reptassent fessi anni,sat citò rugis

Scri-

Scripsisset senium in Principis ore notas.
Quid tandem, quo te luctu, Germania, pasces?
Heu quas non lacrymas mœsta Vienna plues?
Quis nō Rudolphum rapiet dolor? Optime frater,
Tam procul, vt moriens non videaris, abis?
Belga tamen reliquos inter valido impete plangēs
Compluitur lacrymis, inficiturque suis.
Erneste, ô Superos inter iam Erneste recumbens,
Ex quo animus rupto carcere liber ijt,
Audi infelicis verba emorientia Belgî,
Vix abit O, quando dicere tentat opem.
Suppetias Erneste tuis, Erneste quietem,
E cælo viuus, qui potes, affer opem.
Et quæ myriades trismyriadesque malorum
Circumeunt Belgas, vindice pelle manu.





CEN-

CENSVRA.

Hilares Iambi prodeant casto pede
Tersi, rotundi, sed Latini, sed pij.
Mel à Poëtis ethnicis simile petas?
Aconita potiùs. Ite, quò meritum vocat,
Ouidi, Catulle, Martialis, improbis
Maculare iuuenes sordibus nati choros;
Habet hic abundè, quidquid est vobis, salis,
Habet & politum, & quod deest vobis, pium.
Mea tu Iuuentus fugito tartareos sales,
Et hos salubres legito cum fructu iocos,
Teretes, acutos, virgineos, summâ, pios.

Ita, perlecto cum voluptate libello hoc, sentiebat in Collegio Vedastino S. Gregorij,

F. LEANDER DE S. MARTINO
Benedictinus S. The. Mag. & Linguæ sanctæ in almâ Academiâ Duacenâ Professor Regius.

